De sermone Martiani Capellae (ex libris I et II) quaestiones selectae.

Dissertatio inauguralis

quam ad summos in philosophia honores

ab amplissimo philosophorum ordine

Marpurgensi

rite impetrandos

scripsit

Fridericus May

Chassallanus

MARPURGI CHATTORUM MCMXXXVI

TYPIS K. EUKER

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente
Ernesto Lommatzsch
probata est Nonis Februariis a. 1936.

Examen rigorosum habitum est a. d. XIII Kal. Iun. a. 1936.

Dissertationem ex auctoritate ordinis typis mandatam esse testatur

Fridericus Wachtsmuth
h. a. decanus.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Argumentum.

Praefatio.

Martiani Capellae libri IX, quamquam prioribus saeculis frequentissime legebantur, his temporibus a multis viris doctissimis, qui tumidum auctoris sermonem imprimis vituperant, aut negleguntur aut condemnantur[1]. Sed diligentius illos libros perscrutemur!

Martiani opus in duas partes, quae et sermone et argumentis valde inter se differunt, dividi potest:

a) Fabulam de nuptiis Philologiae et Mercurii.
b) Artium encyclopaedian.

Constat auctorem doctrinam, quae in libris III—IX apparet, ex superiorum litteris subtiliter hausisse. Restant libri I et II maiorem partem fabulae tractantes, quos accuratissime cognoscamus, ut sermonem Martiani Capellae perspiciamus.

Contextum criticum, quo nitemur, curavit A. Dick apud Teubnerum. Lipsiae MCMXXV.

Locos, quos attuli, sic distinxi, ut primus numerus paragraphum, quam Dickius paginae margini ascripsit, perhibeat, numeri uncis inclusi paginam atque lineam reddant. Omnes locos e carminibus depromptos signo * notavi.

---

[1]) cf. inter al. quae congesserunt W. S. Teuffel, Geschichte der röm. Literatur[6] III (1913) § 452. Schanz-Hosius, Gesch. der röm. Litteratur IV 2 (1920), 166 sq. Wessner, RE. XIV, 2006 sq.

Pars prior.

De formis.

Martianus Capella ille vir perfecte planeque eruditus, cum formas adhibitas maxima diligentia curaret, paucis tantum utebatur, quas notabiles producam.

A. De nominum declinatione.

I. De ablativo singularis:

igne: 14 (12, 5). 142 (61, 25): Quae forma recentior atque in poetico sermone orta[2]) bene tradita est; forma littera *-i* terminata, quam et poetae praeferunt, nullo loco apparet.

Adiectiva tertii ordinis apud Martianum Capellam (lib. I et II) semper in *-i* cadunt[3]), formae comparativi semper in *-e*. Participia praesentis vim verbi praeferentes semper littera *-e* terminantur, sed usus eorum discrepat, quae pro adiectivis adhibentur: ut *candenti canoraque alite:* 26 (19, 7). *flammanti... lumine:* 28 (19, 21). *congruenti... ratione:* 104 (44, 4). *quodam puero renidenti:* 144 (62, 12). *quodam fluenti aestu:* 165 (68, 18 sq.).

sed *ex... splendente vena:* 7 (7, 15 sq.). *quodam velamine rutilante:* 66 (30, 15 sq.).

II. De genetivo pluralis:

Multi poetae metri necessitate coacti brevioribus formis utuntur, quae cadunt in *-um* pro *-orum*. Tales formae apud Martianum Capellam et in prosa oratione et in carminibus inveniuntur:

Forma *deum* in sermone pedestri legitur: *senatus deum:* 99 (42, 14 sq.). 208 (77, 15). *deum nutrix* (= Vesta): 215 (79, 3), quam nominibus *senatus* aut *nutrix* coniunctam apud alios solutae orationis scriptores nusquam inveni[4]).

---

[2]) cf. Thes. l. L. VII₁, 288, 52 sq. Reisig-Haase, Vorles. über lat. Sprachwissenschaft. ed. Hagen I (1881) 126. adn. 80. Neue-Wagener, Formenl. der lat. Sprache[3] I (1902), 341. Stolz-Leumann, Lat. Grammatik[5] (1928), 274.

[3]) forma adiectiva *divinatrice:* 7 (7, 20) substantivorum more declinatur; adde *sine bilance libra:* 180 (72, 9) (Thes. l. L. II, 1985).

[4]) cf. Neue-Wagener, Formenlehre I (1902), 172 sq.

In carminibus apparet *deum:* 1 (3, 6)*. 91 (38, 19)*. 186 (73, 19)*. 193 (74, 15)*.

Atqui auctori non solum forma brevior in usu erat, sed etiam usitata saepius adhibebatur, cuius exempla praebeo: *deorum*[5]*:* 4 (5, 22). 40 (25, 22). 114 (48, 4). 31 (21, 5)*. 33 (22, 1)*.

divum legitur in sermone pedestri: 69 (33, 5),

in versibus: 1 (4, 3)*. 24 (17, 16)*. 31 (21, 3)*. 32 (21, 19)*. 120 (51, 7)*. 126 (56, 9)*. 185 (73, 12)*.

Forma *divorum* rarius usurpatur: ut 164 (68, 16).

superum[6]*: superum rex:* 4 (5, 17 sq.). *librariae superum:* 65 (30, 8). *superum decreta:* 99 (42, 12). *superum ... potestas:* 22 (16, 18)*.

multigenum: 138 (60, 11).

omnigenum: 136 (59, 9)[7].

Genetivus pluralis nominis *caelicola,* quod valet ‚Himmelsbewohner', ‚Gott', exceptis Juv. 13, 42 et Mart. Cap. 3 (5, 3). 588 (291, 23) apud omnes auctores *-um* litteris finitur[8]; at Martianus Capella, qui *caelicolum* bis adhibuit: 215 (79, 5). 425 (210, 11)*, formam *caelicolarum* in prosa praetulisse videtur.

E sermone poetico genetivus pluralis *caelestum:* 65 (30, 11) petitus esse videtur, qui, licet nonnulli codices *caelestium* perhibeant, tamen servandus est. In Thesauro ling. Lat. III, 67 legitur: „caelestis: gen. pl. in versibus dactylicis excepto Pers. 2, 61 in -um exit, ... in aliis versibus iambicis et sermone pedestri in -ium." Sed auctor noster etiam forma *caelestium* utitur: ut 7 (8, 20). 157 (66, 14).

Iam apud Plautum participia vel adiectiva stirpis *-nt-* saepius cadunt in litteras *-ntum,* quas formas, licet syllabae finales *-ium* in prosa oratione increbrescerent, tamen poetae recentiores retinebant[9]. Quorum usum Martianus Capella in oratione pedestri secutus has formas adhibuit: *animantum:* 68 (32, 13). 137 (59, 16). 149 (64, 7). *concinentum:* 213 (78, 22).

Auctor ipse in tertio libro de adiectivorum declinatione parum diligenter disseruit[10].

---

[5]) de hac declinatione v. Mart. Cap. 281 (109, 19 sq.) et 325 (148, 3).

[6]) forma *superorum* nullo loco librorum I et II occurrit.

[7]) A. Dick, Die Wortformen bei Mart. Cap. Progr. St. Gallen 1901. pag. 21.

[8]) Thes. l. L. III, 73, 53.

[9]) F. Sommer, Handbuch der lat. Laut- u. Formenlehre [2 et 3] (1914), 383.

[10]) Mart. Cap. 306 (131, 11 sq.).

III. De accusativo pluralis:

Numerus cardinalis *duo* et in *-o* et in *-os* exit:

duo: 66 (30, 19). 107 (45, 6). *duos*: 38 (24, 10).

Utraque forma allata scriptoribus classicis qui vocantur usui erat[11].

Nomina vel cardinalia tertii ordinis in libris I et II scripta compluriens litteris *-is* = *-es* finiuntur[12]; haec exempla profero: *artis*: 120 (51, 14)*. *orbis*: 185 (73, 16)*. *dulcis*: 85 (36, 21). *gravis*: 28 (20, 2). *salutaris*: 19 (15, 4). *similis*: 77 (35, 12). *tris*: 204 (77, 6). Cum codices omnibus fere locis varias lectiones praebeant, Martianum Capellam formas in *-is* cadentes maluisse asseverare non audeo. Sed notandum habeo genetivum pluralis omnium formarum, quas supra attuli, litteris *-ium* terminari. Confer et ea, quae auctor ipse docet in 299 (125, 11). 301 (126, 11). 306 (131, 15). 308 (132, 12).

IV. De ablativo pluralis:

Ex vetustissimorum usu Martianus Capella adhibuit formam *quis* = *quibus*: 7 (8, 12). 7 (8, 16). 26 (19, 3). 107 (45, 3). 114 (48, 4). 125 (54, 11)*. 125 (54, 12)*, quae, quamvis in priscorum scriptis legenti rara occurrat, tam in prosa oratione quam in carminibus saeculorum sequentium saepius invenitur[13]. Formam *quis* auctor noster fortasse ex fontibus, quos exhausit, saepe recepit[14], sed in carminibus metro cogente usurpavit.

Formam contractam *auspicis*: 93 (40, 17)* versus postulavit: Quae forma apud Plautum atque Terentium nusquam apparet, in posteriorum poetarum versibus raro metro postulante exstat[15]; sed formam contractam linguae usui propriam fuisse verisimile est.

V. Excursus primus: De declinatione nominum Graecorum[16]:

a) De formis Latinis:

Pleraque nomina, quae Martianus Capella ex Graecorum lingua recepit, more Latino declinavit. Decedit igitur auctor de legibus in tertio libro allatis, ubi scriptum legimus: „graeca nomina cum in

---

[11]) cf. Neue-Wagener, Formenlehre II (1892), 279 sq.; Thes. l. L. V1, 2243.

[12]) cf. G. C. Tingdal, Ändelsen *-is* i Ackus. Plur.... Göteborg 1916.

[13]) „Requisit der Kunstsprache": cf. F. Leo, Plaut. Forschungen² (1912), 316. adn. 1. Neue-Wagener, Formenlehre II (1892), 469 sq.

[14]) cf. Varronis usum.

[15]) primum apud Lucretium et Ovidium legitur: cf. quae observavit ipse Mart. Cap. 295 (119, 16 sq.) et Stolz-Leumann, pag. 280. C. Lachmann, ad Lucretium 5, 85.

[16]) De nominibus Graecis litteris Graecorum scriptis v. pag. 95.

latinum vertuntur, nostra regula pronuntiantur, nisi manent graeca ... sed si manent graeca — et huic regulae in peregrinis vocibus accedimus —": 272 (103, 1 sq.).

Nonnulla nomina affero, quae speciem Latinam rarissimam praebeant:

lampadem (acc. sing.): 29 (20, 8): alii plerumque *lampada*.

metamorphosi (abl. sing.): 30 (20, 14).

Forma *aromatis:* 149 (63, 9). 215 (79, 4) casus ablativus pluralis substantivi *aroma* esse videtur[17], quam omissa forma *aromatibus*[18]) apud alios usurpata Martianus Capella praefert: 290 (115, 6 sq.): „illa vero, quae sunt graeca neutra, ut p o e m a t o r e u m a, tres casus in utroque numero similes habent; in genetivo singulari T i s assumunt, ... in plurali dativo et ablativo genetivi singularis formam servant, licet et B u s possint assumere." Sed et vocabula formis supra dictis *aromatis* coniuncta *(litare, olax)*[19] casum ablativum postulare perspicuum est.

Genetivus pluralis substantivorum *boethematum:* 114 (48, 2)[20] et *theorematum:* 138 (60, 10) non in eam syllabam, quam auctor ipse huic formarum generi attribuit, cadit[21], sed speciem Latinam praestat.

calymmate (abl. sing.): 67 (31, 6): ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. III, 199).

Ablativus singularis *chely* non nisi apud Martianum Capellam: 36 (23, 3) invenitur (Thes. 1. L. III, 1005, 73); dub. 915 (486, 14)*.

distichum: 42 (26, 12): forma rarissime adhibita (Thes. 1. L. V1, 1519).

b) De formis Graecis:

Vocabula Graecis legibus declinata, quae Capella non saepe adhibuit, multis locis, ut puto, certis causis usurpavit:

Formae *chelyn* (acc. sing.): 66 (30, 21). 119 (50, 21)*. *cratera* (acc. sing.): 82 (36, 10). *apotheosin* (acc. sing.): 206 (77, 12) apud multos linguae Latinae auctores passim apparent.

Vocabula Graeca *enneapthongon:* 66 (30, 21)[22]. *cybon:* 105 (44, 9). *hemiolios:* 107 (45, 6). *diatessaron:* 107 (45, 4). *diapason:*

---

[17]) A. Dick, Wortformen (1901), 6.

[18]) Thes. l. L. II, 628 sq.

[19]) cf. etiam *redolentem halatibus:* 85 (36, 21 sq.).

[20]) genetivus pluralis *boethematum* inter alios tantum apud Ps. Theod. Prisc. ves. vit. 2 p. 262, 20 legitur (Thes. l. L. II, 2061).

[21]) cf. Mart. Cap. 281 (109, 19 sq.).

[22]) cf. A. Dick, Praefatio XXII, adn. 1.

107 (45, 8). 108 (46, 3). 199 (76, 4) Martianus Capella e libris perdoctis integra recepisse mihi videtur.

Accusativum pluralis *monadas:* 103 (44, 1) tantum codex A praebet; omnia similia (ut *trias, heptas, decas*) auctor Latino more declinavit; tamen *monadas* retineo, ne formam Latinam in *-es* cadentem casum nominativum esse putemus.

Graecam formam *daemonas:* 154 (65, 19) Martianus Capella plane excitavit.

dilophon (acc. sing.): 177 (72, 1): ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. V 1, 1185).

c) De formis ancipitibus:

Nonnulla substantiva e Graeca lingua recepta Martianus Capella et Graece et Latine flexit: Nominativus singularis *ceraunos:* 75 (34, 10) sine dubio Graeca syllaba terminatur, cum, etiamsi nonnulli codices (Mγ) formam Latinam tradunt, pleraque nomina gemmarum ex lingua Graeca recepta, quae in hac libri parte apparent, Graecas formas exhibeant[23]); sed declinatur idem substantivum more Latino: *ceraunorum* (gen. plur.): 67 (31, 7), quae forma apud alios nusquam invenitur[24]).

nomen	Graece declinatur	Latine declinatur
mythos	*mythos* (nom. sing.): 220 (80, 5)*.	*mythos* (acc. pl.): 100 (43, 1).
tonos	*tonos* (nom. sing.): 182 (72, 19). *tonon* (acc. sing.): 108 (46, 4).	*tonum* (acc. sing.): 138 (60, 7). 169 (70, 2). *tono* (abl. sing.): 198 (76, 1). *tonorum* (gen. pl.): 199 (76, 3). *tonos* (acc. pl.): 120 (51, 13)*.

Substantivum *melos* his locis legitur:

melo (abl. sing.): 121 (51, 22)*. 197 (75, 17).

melos (acc. pl.): 120 (51, 13)*.

mela (nom. vel acc. pl.)[25]): 107 (45, 11). 117 (49, 9). 119 (50, 20)*. 127 (56, 24). 138 (60, 13). 209 (78, 2).

VI. Excursus alter: De declinatione nominum propriorum:

a) De formis Latinis:

De nominibus propriis ex Latina stirpe ortis, cum a Martiano Capella communi omnium more flectantur, nihil memorabo.

[23]) *Astrites:* 75 (34, 10) vocabulum graec. non traditum (Thes. l. L. II, 949). *Hydatis, Adamas, Crystallus:* 75 (35, 3) lat. declin.

[24]) Thes. l. L. III, 857; moneo nomina gemmarum hic Latine declinari.

[25]) Quam formam Georges (Handwörterbuch) non attulit; cf. A. Dick, Wortformen (1901), 19.

Annoto formam *Tellurus:* 49 (28, 12), quam nostro tempore nonnulli viri docti casum genetivum sermoni priscorum proprium esse putant[26]).

Permulta nomina propria ex lingua Graeca recepta auctor Latino usu declinavit, quorum haec exempla praebeo: *Abderitae* (gen. sing.): 110 (46, 16). *Aonidum* (gen. pl.): 119 (50, 18)*. *Apotheosi* (dat. sing.): 140 (60, 19). *Aristoxenum* (acc. sing.): 212 (78, 12). *Atlantiadae* (gen. sing.): 38 (24, 9). *Azonos* (acc. pl.): 61 (29, 10). *Charontis* (gen. sing.): 142 (62, 2). *Cypridis* (gen. sing.): 1 (3,13)*. 5 (6, 16). 34 (22, 16). *Entelechiae* (gen. sing.): 7 (7, 10). *Entelechiam* (acc. sing.): 213 (78,17). *Herophilam* (acc. sing.): 159 (67, 15). *Mithram* (acc. sing.): 191 (74, 11)*. *Orpheum* (acc. sing.): 212 (78, 12). *Osiris* (gen. sing.): 126 (55, 22)*. *Osirim* (acc. sing.): 191 (74, 10)*. *Palladis* (gen. sing.): 6 (7, 3). 216 (79, 9). *Pallade* (abl. sing.): 214 (78, 26). *Phosphori* (gen. sing.): 113 (47, 19)[27]). *Phronesis* (gen. sing.): 115 (48, 15). *Pliadum* (gen. pl.): 5 (6, 9). *Stilbonte* (abl. sing.): 25 (18, 23). *Typhonem* (acc. sing.): 191 (74, 11)*.

b) De formis Graecis:

Graece declinantur: *Archimeden* (acc. sing.): 212 (78, 13). *Delon* (acc. sing.): 10 (10, 7). *Eumenidas* (acc. pl.): 142 (61, 24). *Helicona* (acc. sing.): 10 (10, 7). *Nemesin* (acc. sing.): 88 (37, 10). *Pyrphlegethonta* (acc. sing.): 166 (69, 2). *Serapin* (acc. sing.): 191 (74, 10)*. *Sirion* (acc. sing.): 98 (42, 7)*. *Sophian* (acc. sing.): 6 (6, 20). 23 (17, 7)[28]).

Graeca nomina propria littera *-ē* terminata auctor omnino servat et Graeco more flectit: ut *Cecaumenes* (gen. sing.): 17 (14, 9). *Cybebe* (abl. sing.): 4 (5, 22). *Libyes* (gen. sing.): 192 (74, 13)*. *Mantices* (gen. sing.): 23 (17, 6). *Manticen* (acc. sing.): 6 (7, 5). *Tychen* (acc. sing.): 88 (37, 10).

Varie traduntur: *Uranie* (nom. sing.): 7 (8, 1). 27 (19, 17)[29]). 138 (60, 6)[29]). *Urania* (nom. sing.): 118 (50, 1). *Pronoees* (gen. sing.): 6 (7, 6): tradunt nonnulli codices formam Latinam in *-ae* cadentem. Etiam cognoscamus nomen proprium *Grammatice (-a)* (cf. Dickii ind. rer. et nom.!)[30]).

---

[26]) F. Altheim, Röm. Religionsgeschichte (Göschen) I (1931), 110. M. Runes, PhW. 55 (1935), 255. St. Weinstock, RE. 2. Reihe V_1, 802 sq. Mielentz in eodem libro 408sq.

[27]) sed *Phosphoros* (nom. sing.): 116 (49, 1)*.

[28]) 6 (6, 20): *sophian* Δ, *sophyan* O, *sophiam* rell. v
23 (17, 7): *sophian* βAΔRMO *-iam* LBDγv.

[29]) tradunt codd. et *-e* et *-a*.

[30]) ubi primum locum corrigas 97.5 pro 7,5.

B. De coniugatione verborum.

I. De formis temporis perfecti, quae cadunt in -*ere* = *erunt*:

Qua ratione formae in *-ērunt, -erunt, -ēre* cadentes inter se differant, viri docti adhuc frustra quaesiverunt[31]). Syllabae *-ērunt* inde a Plauto, qui formas litteris *-ēre* terminatas metro cogente adhibuit[32]), saepius usurpantur. Litterae *-ēre,* quas stili elati proprias, sed plebeio sermoni inusitatas fuisse cognoscimus[33]), apud poetas et historicos praecipue apparent, quos in conficiendis metris vel clausulis bene adiuvant; in prosa oratione saepissime paenultimum enuntiati vocabulum signant[34]).

Martianus Capella in libris I et II formis in *-ēre* cadentibus his locis utitur:

Bis tantum metro cogente in carminibus exstant:
quis valuere: 125 (54, 11)*. *quod superi voluere licet:* 21 (16, 3)*.

Vergilii versum (Aen. II, 1) auctore non commemorato Martianus Capella orationi pedestri inseruit: *conticuere omnes intentique ora tenebant:* 91 (38, 11).

Formae litteris *-ēre* terminatae in prosa oratione saepissime inveniuntur:

Paenultimum enuntiati locum tenent[35]):

196 (75, 6):	*pervenere fulgores,*	– ⏑ – – –	A
14 (12, 14):	*permulsere modulatus;*	– ⏑ ⏑ ⏑ – –	A²
213 (78, 23):	*potuere rabulatu.*	– ⏑ ⏑ ⏑ –	A²
134 (58, 19):	*affuere conspicerent,*	– ⏑ – ⏑ ⏑ ⏓	A³
90 (38, 9):	*suscepere sidereum.*	– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	A³
145 (62, 15):	*sustulere mancipia.*	– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	A³
62 (29, 15):	*venere sideribus.*	– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	A³
169 (70, 2):	*complevere caelestibus,*	– ⏑ – ⏑ ⏑	B
157 (66, 14):	*fecere caelestium,*	– ⏑ – – ⏑ ⏑	B
138 (60, 6 sq.):	*congessere volumina.*	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	a
117 (49, 13):	*fecere silentium.*	– ⏑ ⏑ – ⏑ ⏑	a
132 (58, 10):	*dedere tripudia.*	– ⏑ ⏑ ⏑ ⏑ ⏑	incertum.

[31]) F. Sommer, Handbuch der lat. Laut- u. Formenlehre (1914), 578—580. Stolz-Leumann, pag. 338.

[32]) Havet, Rev. Phil. 31, 230.

[33]) W. A. Baehrens, PhW. 44 (1924), 702—705. Cato his formis utitur, Cicero etsi non improbat, tamen certa exempla non habet (cf. orat. 157).

[34]) apud Sallustium saepius in ultimo loco leguntur. cf. H. Hagendahl, Die Perfektformen auf *-ēre* und *-ērunt.* Uppsala 1923. J. Svennung, Orosiana. Uppsala 1922, pag. 180 sq. Neue-Wagener, Formenlehre III (1897), 190 sq.

[35]) clausulas respicio nixus his dissertationibus: W. A. Baehrens, Paneg. Lat. praef. mai. (Gron. 1910), 41—42. J. Svennung, Orosiana. Uppsala 1922, p. 181—182.

Enuntiatum claudunt:
132 (58, 2): *ad virginem c o n v e n e r e.*
90 (38, 6): *ceteri d e v e n e r e.*
160 (67, 21): *veteres d i x e r e,*
166 (69, 5): *Veiovemque d i x e r e.*
158 (67, 7): *apud Atticos d o c u e r e ;*
102 (43, 9sq.): *cultibusque f i n x e r e ,*
73 (34, 4): *luminis r e f u l s e r e.*
218 (79, 18sq.): *ornatissimae r e f u l s e r e.*
132 (58, 9): *lumine r e p l e v e r e ,*
169 (69, 19 sq.): *molimine s u b v e x e r e.*
-ēre intra enuntiatum invenitur:
30 (20, 15 sq.): *... augusto r e f u l s e r e caelo ac ...*

Constat Martianum Capellam non semper, ne dicam raro, clausulas respicientem formis perfecti in *-ēre* cadentibus usum esse. Et clausulas auctor raro usurpavit, quas commendans ipse attulit[36]).

II. De verborum synhaeresi[37]):

Verba contracta in Capellae libris I et II saepius inveniuntur[38]).

Synhaeresis in auctoris carminibus, quorum metris, ut intellegi potest[39]), postulatur, haud saepe apparet:

quaeque tuos n o r i t fratrum per regna recursus: 22 (16, 13)*.
n o s t i s Maiugenam pignoris incliti: 92 (39, 9)*.
cernere i u s t i : 125 (54, 24)*.

Saepius synhaeresin in prosa oratione cognoscimus:

Paenultimo sententiae loco formae contractae exstant:
100 (42, 18): *o p t a r i t ardore,*
166 (69, 4): *a d i u d i c a r i t, impietas.*
141 (61, 16 sq.): *c o a p t a r a t, expelleret,*
11 (10, 14): *m i g r a s s e perhibebant,*
149 (64, 6): *n o s s e poscenti,*

Sententiam finiunt:
23 (17, 11): *cultibus a r r o g a r i t,*
142 (62, 3): *auspicio c o n s e c r a r i t.*
23 (17, 12): *facere l a b o r a r i t.*
7 (8, 18): *Memoria p r a e g r a v a r i t.*
44 (27, 6 sq.): *animalibus t i t u l a r i n t,*
142 (62, 1): *dogmate v e r b e r a r i t,*

---

36) Mart. Cap. 519 (256, 12 sq.). cf. E. Norden, Antike Kunstprosa. pag. 929.
37) cf. A. Sundermeyer, De re metr. et rhythm. Mart. Cap. (Marp. 1910), 4 et 76.
38) sed tantum formae temporis perfecti vel infinitivi leguntur.
39) cf. formas perfecti in *-ēre* cadentes.

199 (76, 7): *paululum conquierunt.*
154 (65, 20): *Medioximos vocitarunt.*
15 (13, 7): *collisione vexarat,*
196 (75, 13): *caelitem commeasse.*

Nescio utrum *formidarit* (Kopp. ex cod. Hugiano) an *formidavit* (Ω): 142 (61, 24) legendum sit; sed ego quidem formam contractam coniunctivi perfecti praefero[40]).

Hoc loco et formam *petierat:* 28 (20, 5) synhaeresi non ortam praebeo, de qua auctor ipse tractat: 319 (143, 3—5): „... sic peto petivi petiveram. haec quoque V litteram interdum subtrahunt et I geminant, ut petii petieram[41]).“

Synhaeresis alias invenitur:

... aditumque reseraris, ὑμνολογίζεις*?:* 2 (4, 11).
... suoque eum sustentasse gremio ferebatur,...: 72 (33, 18sq.).

Verborum formae synhaeresi ortae, quarum paucae a Martiano Capella rhythmo fovente usurpantur, saepissime paenultimum enuntiati locum tenent aut sententiam claudunt.

III. De formis infinitivi praesentis passivi, quae cadunt in -ier:

De formis infinitivi praesentis passivi litteris *-ier* finitis viri docti adhuc non eadem censent[42]). Quae formae apud priscos saepius adhibitae ab auctoribus recentioribus remittuntur, sed valent in inscriptionibus et versibus[43]). Apud Martianum Capellam (lib. I et II) ter in eodem carmine et alia vetustissima perhibente inveniuntur: *probarier:* 91 (39, 8)*. *iugarier:* 92 (40, 5)*. *tenerier:* 93 (40, 15)*.

IV. De formis cupiret, allinibat, ciant:

Forma *cupiret:* 40 (25, 10). 68 (33, 1), quae quidem iam apud Lucretium I, 71 legitur, sed in posteriorum scriptis rara exstat, a Thesauro ling. Lat. in locis praedictis non probatur. Quam formam Dickii auctoritatem haud secutus reicio, praesertim cum non nisi codicibus R[1] (pag. 25, 10) et R (pag. 33, 1) tradatur. Adnoto Martianum Capellam talibus formis non favisse.

Formam *allinibat:* 110 (47, 3) a Dickio impositam repudio, licet Thesaurus ling. Lat. haec probet: „Formae quarti ordinis in -ire

---

[40]) fluctuat Dickii auctoritas: *formidarit:* Wortformen (Progr.), 14.
formidavit: editio recentior.
[41]) cf. etiam Mart. Cap. 317 (141, 24). 322 (145, 22. 146, 1).
[42]) Stolz-Leumann, pag. 328sq.
[43]) Neue-Wagener, Formenlehre III (1897), 224—235.

hic illic leguntur in codd. Palladii recentioribus et apud Mart. Cap. 2, 110 in optimis": $\beta\gamma$. Forma *allinibat* alias nusquam invenitur[44]). Ut sit legenda forma quarti ordinis, formam *alliniebat* ($A^1\lambda$LBMd) praefero.

Formam *ciant*[45]): 91 (38, 22)* = *cieant* auctor metro cogente adhibuit.

V. De participio perfecti passivi deponentium verborum:

Permulta verba deponentia, quae in lingua Latina apparent, etiam passive adhibentur[46]). Imprimis huic usui ea deponentia offeruntur, quae formas activas plerumque ante Ciceronis aetatem usitatas iuxta se non aspernantur. Sed verba deponentia a Martiano Capella passive usurpata paene omnia formis activis carent:

Periergia ... aliis comitata pedisequis: 146 (62, 19 sq.): Formae activae deponentis verbi *comitari* raro inveniuntur, sed participium perfecti passivi iam ante Martianum Capellam floruit[47]).

Apolline conspicato: 27 (19, 10sq.): Verbo *conspicari* iam Varro atque Sallustius passive utebantur; sed huius verbi participium perfecti passivi *(-atus)*, quod sermonis serioris proprium erat[48]), Apuleius (flor. 9 p. 32) primus auctor adhibuit.

... eisdemque, quibus fuerat eblandita (= Tyche): 88 (37, 14 sq.): Participium perfecti passivi verbi *eblandiri* iam apud Ciceronem (Planc. 10) legitur et post illum saepius usurpatur (v. Plin. Gell. al.)[49]).

hoc in ea perhibetur intuita: 181 (72, 15): Deponentis *intueri* infinitivi formam passive usurpatam apud Amm. Marc. 23, 5, 13 inveni[50]), sed participium perfecti passivi nusquam deprehendi.

e menso fugientes: 11 (10, 19): Participium perfecti passivi *mensus* apparet iam apud Cat. R. R. 146, 1. Cic. De nat. deor. 2, 69.

circulis quibusque metatis: 27 (19, 15sq.): Verbi *metari* participium perfecti passivi iam apud Hirt. B. G. 8. 15, 2. Hor. Carm. 2. 15, 15. Serm. 2. 2, 114. Liv. 44. 37, 1 legitur, sed apud posteriores non saepe invenitur[51]).

---

[44]) cf. Thes. l. L. I, 1686, 49.

[45]) Thes. l. L. III, 1054, 11 praebet: „Forma cio, -ire raro legitur."

[46]) Kühner-Stegmann, Ausführliche Grammatik der lat. Sprache^2 II$_1$ (1912), 111. Schmalz-Hofmann, pag. 545.

[47]) Thes. l. L. III, 1810 et 1815.

[48]) cf. Thes. l. L. IV, 498, 14 sq.

[49]) Thes. l. L. V$_2$, 6, 36.

[50]) cf. Kühner-Holzweißig, Gramm. der lat. Sprache^2 I (1912), 919 sq.

[51]) ib. 911.

quae sectanda forent *o r s a :* 91 (39, 8)*: Forma neutri pluralis *orsa* a verbo *ordiri* derivata, quae significat ‚Anfang', ‚Unternehmen', ‚Beginnen', apud poetas post aetatem Augusteam velut substantivum adhibita florebat[52]).

culmenque *s e c t a t u m* *limbis:* 208 (77, 21): Participium perfecti passivi verbi *sectari* rarissimum esse videtur.

quo *t r a n s g r e s s o :* 196 (75, 4): Forma *transgressus* passive usurpata, quae iam apud Liv. 10, 27, 1 apparet, in aliorum scriptis rarissime invenitur.

---

[52]) vid. et Liv. praef. 13; cf. ea, quae de adiectivo pro substantivo adhibito afferam.

P a r s s e c u n d a.

De syntaxi.

A. De nomine.

I. De casibus.

a) De accusativo:

A c c u s a t i v u m e x c l a m a t i o n i s semel invenimus: De forma *eccam:* 168 (69, 15) ex interiectione *ecce* et pronomine *han(c)* composita Thesaurus ling. Lat. V_2, 25, 7 haec dicit: „nota apud posteriores eccum, eccam pro mero ecce usurpatum."

A c c u s a t i v u s r e l a t i o n i s (acc. q. d. graec.) saepius reperitur:

id genus plurima suadente Tritonia: 40 (26, 1sq.). *id genus innumera ... astruebat:* 113 (47, 19sq.). Accusativi *id genus* memorabilis usus inter scriptores vetustiores tantum a Catone (semel) et Lucilio[53]) praebetur, apud classicos qui vocantur excepto Varrone[54]), quem exhausit Martianus Capella, rarissime apparet. Reviruit hic usus in Afrorum (v. Apul. Gell. Tertull. al.) scriptis[55]), quos posteriores haud sequebantur. *id genus* locis supra allatis pro *talia* adhibetur.

mitis omnia: 14 (12, 3sq.). *invelatum cetera:* 5 (6, 15): Accusativi formae *omnia* et *cetera* adiectivis coniunctae, quae apud Vergilium atque Sallustium primum inveniuntur[56]), Graecis exemplis, ut opinor, nituntur (v. τἆλλα ac πάντα)[57]): cf. Sall. hist. inc. 18: *Germani cetera intectum ... corpus tegunt.* Verg. Aen. IV, 558: *omnia Mercurio similis.* Accusativus *omnia* adiectivo coniunctus, qui post Vergilium recedit, in Solini et Ammiani scriptis compluribus locis denuo apparet. Restant formae accusativi Graeci ad corporis membra spectantes, quae more poetico atque Graeco[58]) participio perfecti passivi copulantur: *glaucoque amictu tectus caput* (= Saturnus): 70 (33, 7). *galeata quaedam obtectaque vultum virgo* (= Pallas): 114 (48, 11sq.). *puellae ... religatae invicem manus* (= Charites): 132 (57, 21sq.). *antias draconibus circumflexa* (= Venus): 181 (72, 16).

---

[53]) W. Schreiber, De Lucili syntaxi. Diss. Gryph. 1917, pag. 10.

[54]) E. Wölfflin, ALL. V (1888), 387 sq.

[55]) quibus Martianus Capella innitebatur.

[56]) Schmalz-Hofmann, pag. 379.

[57]) W. Kroll, Wissensch. Syntax² (1920), 36. E. Wölfflin, ALL. II (1885), 90 sq.

[58]) Schmalz-Hofmann, pag. 378sq.

De accusativo verbis ducto:
Verba atque adiectiva, quae affectus reddunt, apud Martianum Capellam plerumque praepositiones vel ablativum causae recipiunt; sed auctor verbum *contremere* cum accusativo coniungit: *paterna contremens praecepta:* 31 (20, 24 sq.)*, quam constructionem alias rarissime invenimus[59]).

Ad usum verbi *alludere* Thesaurus ling. Lat. I, 1697 talia perhibet: „quem quidve appetat lusus, additis praep. ‚ad', rarius ‚de' vel dat., raro accus. (Catull. Val. Fl. Ampel. Schol. Lucan. Marcell. med.) ostenditur." Verbum *alludere,* quod significat ‚iocose fingere', Martianus Capella semel cum accusativo coniungit: *tractum Pyrphlegethonta sollertia... allusit:* 166 (69, 2sq.).

Verba *convenire* et *recurrere* quendam accusativum directionis[60]) ducunt his locis: *Cirrhaeos tunc recessus et sacrati specus loquacia antra conveniunt:* 11 (10, 14sq.)[61]). *vestrum Iovem... convenite:* 25 (18, 21). Verbum *convenire* transitivi more positum (= *visitare* = ‚be-', ‚aufsuchen') iam apud classicos qui vocantur reperitur[62]).

Simili ratione adhibetur verbum *recurrere: Tartarum recurrit:* 126 (55, 16)*.

Rarissima significatione verbum *dissultare:* 3 (5, 6) exstat[63]), quod Bauer in Thesauro ling. Lat. V_1, 1508, 72 ita intellegit: „transitive (i. q. facere, ut aliquid dissiliat"): *dissultaret = divulgaret.* Quod verbum et in aliis Martiani Capellae litteris: 133 (58, 12). 427 (211, 21). 906 (480, 5) et in aliorum auctorum scriptis non nisi more intransitivo usurpatur. Haec verba sonitum quendam significantia casum accusativum ducunt: *sonare:* 119 (50, 23)*. *personare:* 9 (9, 19). 11 (11, 9). 28 (20, 3); sed alio loco legitur: *doctis fidibus personare:* 36 (23, 3); v. et 196 (75, 7). 212 (78, 12). *concinere:* 27 (19, 18). 117 (49, 9).

Verbum *suffragari* et accusativo: 31 (21, 6)* et dativo: 30 (20, 19) coniungitur.

Verbum *pergere,* quod in priscorum usque ad Ciceronem scriptis plerumque intransitivum legimus[64]), Martianus Capella transitivum adhibitum cum casu accusativo coniunxit hoc loco: 141 (61, 12).

Verba composita eundi ac movendi transitivorum more saepius casum accusativum ducunt: ut *adire:* 31 (21, 1)*. *ascendere:* 145 (62,

---

[59]) cf. Thes. l. L. IV, 776, 19.
[60]) Landgraf, ALL. X (1898), 391 sq.
[61]) cf. 127 (56, 27sq.): *in penates... conveniunt.*
[62]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 377. Thes. l. L. IV, 827, 72 sq.
[63]) cf. *nuptias resultare:* 2 (4, 15).
[64]) J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax. 2. Reihe (Bas. 1928), 179.

17)[65]. *ambire:* 15 (13, 2). 67 (32, 3). 118 (50, 7)*. *antevolare:* 148 (63, 7)[66]. *circumire:* 113 (47, 13). 197 (75, 17). *conscendere:* 100 (43, 3). 139 (60, 18). 143 (62, 3). 169 (70, 1). 193 (74, 18)*. *exire:* 29 (20, 7)[67]. *excedere:* 9 (9, 19). 149 (64, 10). *ingredi:* 28 (19, 20). 99 (42, 14). 169 (70, 3). *irrumpere:* 9 (9, 13). 114 (47, 21). *perlabi:* 98 (42, 10)*. *permeare:* 9 (9, 12). 143 (62, 11). 194 (75, 1). *praecedere:* 145 (62, 17). *praetergredi:* 197 (75, 14). *praetervolare:* 126 (55, 13)*. *subire:* 37 (23, 12). 99 (42, 15). 117 (49, 18)* et al. *transcurrere:* 196 (75, 6). *transilire:* 155 (66, 6). *transire:* 37 (23, 18). *transmeare:* 16 (13, 20). 201 (76, 16). *transcendere:* 141 (61, 19). 202 (76, 20).

Non pauca praedictorum verborum aliis locis etiam cum praepositionibus coniuncta sunt.

b) De dativo:

Dativus possessivus de copula *esse* pendens, quae quidem interdum vacat, crebro adhibetur: Haec exempla affero: 3 (5, 9): *nec aliquid dulcius Iovi* (sc. *esse*). 4 (5, 20 sq.): *Aesculapio quoque non dispar affectio* (sc. *erat*). 75 (34, 7sq.): *erat illi ... corona.* 81 (36, 2sq.): *utrique diversa coniunx* (sc. *erat*). 85 (36, 18sq.): *illi arcus* (sc. *erat*). 92 (39, 18)*: *quae mensura polis* (sc. *sit*). 92 (39, 19)*: *qualis sit numerus ... haustibus.* 93 (40, 9sq.)*: *cui terreus ortus* (sc. *est*). 112 (47, 8sq.): *cui Agrypnia vocabulum est.* 118 (50, 11)*: *quae sit cura deis.* 134 (58, 21): *huic Athanasiae nomen fuit.* 141 (61, 14): *cui* ἀείζωον *vocabulum est.* 173 (71, 11): *hoc illi vocabulum* (sc. *erat*).

Dativus possessoris apud Martianum Capellam et ad personas et ad res spectat[68].

Dativum auctoris in libris I et II raro invenimus: *femina ... virgini salutata:* 172 (71, 4 sq.): Dativus auctoris participio perfecti passivi coniunctus a priscis saeculis floruit; quocirca dativi formam *virgini,* licet nonnulli codices casum ablativum *virgine* tradant, tenendam habeo.

De sententia *non sibi quoque nescitum* (sc. *esse*): 113 (47, 15 sq.) Barwickius haec annotat[69]: „47, 16 geben die codd. Dicks *nescitum: nescium* cod. Grot.; *nescium* wäre hier passiv; das ist sehr selten, aber gerade deswegen Mart. zuzutrauen." Sed cum adiectivum *nescius* omnino active adhibeatur, formam *nescitum* bene tra-

[65]) cf. et *scandere:* 117 (49, 17)* et al.

[66]) sero us., etiam dativo coniunct.

[67]) sensu relinquendi adhibitum apud Plaut. legitur cum abl., cum acc. iam apud Ter. Hec. 378; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 377.

[68]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 412.

[69]) K. Barwick, Gnomon II (1926), 185.

ditam, quam Dickius maluit, retineo ac formam *sibi* dativum auctoris participio perfecti passivi subiectum esse puto. Forma *nescium* cod. Grot. coniecta mihi esse videtur.

Apparet etiam dativus auctoris rarius usurpatus, qui verbo passivo ducitur: *licet ... nonnullis ... crederetur:* 76 (35, 8sq.): Sed formam *nonnullis* et ablativum instrumenti (= *a nonnullis)* intellegere possumus, quem ad personas spectantem auctor compluriens adhibuit (cf. De ablativo).

Dativi auctoris apud gerundivum positi, qui agentes aut sustinentes signat, hos locos affero: *exiliendumque sibi* (sc. *esse*): 99 (42, 16). *perferendos ... globos ... artubus* (sc. *esse*): 109 (46, 12sq.). Dubito an locos 131 (57, 19sq.). 139 (60, 18) hic inseram, cum casum dativum et alteri verbo coniunctum habere possimus.

D a t i v u s c o m m o d i saepius usurpatur:

Casus dativus, qui in sententia . . . *parentibus uterque consurgunt:* 69 (33, 5) exstat, optimis exemplis nititur (cf. Cic. inv. I, 48: *ut maioribus natu adsurgatur).*

Dativum verbis *psallere* ac *canere* coniunctum Germanice ‚zu Ehren', ‚zum Wohle' bene convertamus: *psallentem thalamis* (sc. *Hymenaeum*): 1 (3, 5)*. *nunc tibi, virgo, cano:* 121 (51, 23)*. *canimus tibi* (= Philologiae): 123 (53, 8)*.

Dativum commodi et in his locis invenimus: *decori ... formidare:* 109 (46, 11 sq.)[70]). *Delio constiterunt:* 26 (19, 3).

Sed dativus commodi, cum casum dativum aliis modis saepissime verbis coniunctum legamus, non semper certo cognosci potest[71]).

Haec a d i e c t i v a (aut substantiva) Martianus Capella c u m c a s u d a t i v o copulavit:

acceptus: 39 (25, 3). *amicus:* 119 (50, 15)*. *caput:* 123 (52, 21)*. *cognitus:* 123 (53, 8)*. *commodus:* 109 (46, 9). *concolorus:* 80 (35, 19). *confinis:* 11 (11, 3). *congruens:* 104 (44, 4). *conscius:* 22 (16, 9)*[72]). *consimilis:* 67 (31, 12). *inimicus:* 47 (28, 7). *invius:* 167 (69, 6). *opportunus:* 170 (70, 11). *propinquus:* 11 (11, 3). *propior:* 16 (14, 7). *socius:* 180 (72, 10).

Locis supra allatis compluriens dativus sympatheticus exstat, qui et apud poetas et apud recentiores prosae orationis auctores saepius apparet[73]).

---

[70]) dativus iam multo prius apparet. Thes. l. L. VI1, 1094, 49. G. Landgraf, ALL. VII (1893), 48.

[71]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 414.

[72]) dativo rei coniunctum non saepe usurpatur; cf. Thes. l. L. IV, 371, 30.

[73]) E. Löfstedt, Syntactica I (1928), 164 sq.

Memorabilis usus etiam hos locos annoto: *dispositis sat erat:* 18 (14, 20). *quicquid tacito velle fuit satis:* 91 (38, 15)*. *nulli fas... terrigenae:* 134 (58, 23 sq.): cf. 185 (73, 14)*. *at nobis praescire vacum est:* 21 (16, 2)*. *quod superis praescire datum:* 22 (16, 16)*.

De dativo qui dependet de verbis:

E permultis exemplis talia praebeo:

Verba sociandi ab auctore plerumque dativo coniunguntur: Qui usus Graecorum exemplo genitus[74]) in carminibus et posterioribus pedestris sermonis scriptis saepissime reperitur: *sociare:* 1 (3, 10)*. 28 (19, 22). 100 (42, 17). 108 (45, 14). 114 (48, 4). *copulare:* 6 (7, 9). 101 (43, 6). 152 (65, 15). *miscere:* 18 (15, 2). 213 (78, 17 sq.). *nectere:* 9 (9, 15)[75]). *iugare:* 32 (21, 23)*. *haerere:* 30 (20, 18)[76]); sed legitur *in algido haerentem:* 197 (75, 15 sq.).

Sed talia verba praepositionis *cum* = *con-* composita Latino usu dativo coniunguntur (cf. composita infra allata).

E verbis intransitivis dativo coniunctis haec assero: *nubere:* 172 (71, 9). *supplicare:* 142 (61, 21). 152 (65, 13). 169 (70, 4).

Compluribus locis verba movendi more poetico[77]) dativo directionis copulantur, quorum nonnullos produco: *meare caelo:* 126 (56, 13)*. *ingressui propinquare:* 73 (33, 21). *tibi... venit:* 21 (16, 5)*.

Saepissime copulatur dativus verbis compositis et transitivis, quae quidem valent, et intransitivis, e quorum omnium numero permulta ostendo:

Verba intransitiva:

accedere: 3 (5, 10). 19 (15, 9). *accrescere:* 34 (22, 13). *adhaerere:* 7 (8, 21). 39 (24, 11). 39 (24, 17). 72 (33, 18). 210 (78, 6). *adstare:* 200 (76, 12)[78]). *allubescere:* 25 (18, 24). 31 (21, 8)*. 181 (72, 14). *annuere:* 1 (4, 4)*. 96 (41, 5). *antevolare:* 92 (40, 1)*[79]). *inhaerere:* 39 (24, 15). *insidere:* 66 (31, 1). *interesse:* 40 (25, 16). 148 (63, 7). *obsequi:* 51 (28, 18). *occurrere:* 171 (71, 3). *praecinere:* 133 (58, 15). *praeesse:* 152 (65, 11). 161 (68, 4). *praesidere:* 183 (73, 3). *praevolare:* 93 (40, 11)*. *refulgere:* 218 (79, 19). *resplendere:* 75 (34, 17).

Accedunt composita conveniendi intransitiva: *conducere:* 100 (42, 21). *contingere:* 126 (55, 10)*. *convenire:* 40 (25, 19). 40 (25, 23). 106 (44, 20).

---

[74]) Kühner-Stegmann, Gramm. der lat. Spr. II 1 (1912), 317 sq.

[75]) ex Verg. Aen. IV, 239; incertum utrum dativum an ablativum intellegamus; cf. Kühner-Stegmann II 1, 318.

[76]) ex usu poetarum; cf. E. Löfstedt, Syntactica I (1928), 153. adn. 1.

[77]) invenitur et hic usus in serioris prosae orationis scriptis; cf. Kühner-Stegmann, II 1 (1912), 320.

[78]) de loco poetice et sero: cf. Kühner-Stegmann, II 1, 327.

[79]) dativo coniunctum sero legitur: Thes. l. L. II, 162.

Verba transitiva:

abstrahere: 141 (61, 19). *auferre:* 140 (60, 21). *addere:* 7 (7, 16). 126 (55, 8)*. 186 (73, 19)*. *adhibere:* 7 (8, 13). *adicere:* 94 (40, 21). *adscribere:* 137 (59, 18). 158 (67, 9). *afflare:* 132 (58, 5)[80]. *ammiscere:* 132 (58, 9). *ammovere:* 152 (65, 10). *annectere:* 66 (30, 23). *apponere:* 7 (7, 15). 66 (30, 14). 110 (47, 3). 114 (48, 9). 115 (48, 16). *arrogare:* 23 (17, 11). 89 (38, 6). *conferre:* 7 (7, 13). 75 (35, 2). 88 (37, 13). *congerere:* 110 (46, 18). *coniungere:* 14 (12, 9). *consociare:* 144 (62, 11). *deferre:* 85 (37, 3). *dependere:* 152 (65, 13). *detrahere:* 7 (7, 14). *exhibere:* 157 (67, 3). *impendere*[81]): 23 (17, 11). 117 (49, 8). *incidere:* 96 (41, 8). *ingerere:* 179 (72, 4). *inserere:* 92 (39, 11)*. 95 (41, 3). *intermiscere:* 39 (24, 19). *intimare:* 39 (24, 12). *obducere:* 66 (30, 17). *offerre:* 67 (31, 10). *persolvere:* 142 (61, 22). *praeferre:* 173 (71, 13). 197 (75, 21). *praeparare:* 84 (36, 15). 130 (57, 9). *praestare:* 158 (67, 4). *proponere:* 4 (5, 18). *redhibere:* 81 (36, 6). *refundere:* 215 (79, 4). *revocare:* 123 (53, 4)*. *subscalpere:* 7 (8, 14). *subdere:* 19 (15, 9). 67 (31, 4). 123 (52, 23)*. *transfundere:* 15 (13, 6).

Composita praedicta aliis locis adhibita rarissime praepositiones iuxta se patiuntur.

c) De genetivo:

G e n e t i v u m   p a r t i t i v u m   Martianus Capella (lib. I et II) variis formis coniunctum saepius usurpavit:

1. post comparativa: *maior:* 6 (7, 6). *decentior:* 121 (52, 4)*. *immitior:* 177 (72, 2). *candidior:* 180 (72, 7). *senior:* 4 (5, 22).

2. post superlativos: *maximus:* 194 (75, 3). *ima:* 7 (8, 15). 126 (56, 18)*. *ultima:* 70 (33, 9). *pudicissima:* 174 (71, 15).

3. iuxta loci adverbium: *ubicumque locorum:* 8 (9, 11).

4. post neutra copiam vel modum significantia: *tantum:* 23 (17, 11). *multa*[82]): 110 (46, 16).

5. post substantivum *pars:* 39 (24, 18). 68 (32, 20). 75 (35, 3).

6. Adiectivum positivum masculini aut feminini singularis generis genetivo partitivo coniunctum, quod apud Graecos poetas saepissime invenitur[83]), sed in Romanorum carminibus valde raro apparet, apud Martianum Capellam his locis exstat: *omnium garrula puellarum:* 88 (37, 8). *doctus ... divum:* 126 (56, 9)*.

---

[80]) ex Verg. Aen. I, 591.

[81]) dativo coniunctum inde a Tacito usurpatum: cf. Kühner-Stegmann, II 1 (1912), 331.

[82]) forma pluralis raro adhibetur.

[83]) cf. *δῖα θεάων, δαιμόνιε ἀνδρῶν* al.

Saepius omnino genetivus partitivus apud pluralis formas adiectivi reperitur: *mundi penita:* 9 (9, 12). *dearum grandaevas:* 40 (25, 18)[84]).

7. Crebro genetivum partitivum propter pronomina vel numeralia velut substantiva adhibita invenimus: *quod* (nam Eyssenhardti coniecturam sequor): 123 (53, 7)*. *quis:* 31 (21, 4)*. *quid:* 113 (47, 14:ter). 149 (64, 6—8:bis). *quicquid:* 11 (10, 16). 24 (17, 18)*. 210 (78, 6). *(ali-)quis:* 152 (65, 15). *(ali-)quid:* 23 (17, 10). *istaec:* 141 (61, 17). *nihil:* 10 (10, 1). 149 (63, 15). *unusquisque:* 138 (60, 4). 152 (65, 7). *uterque*[85]): 14 (12,19). 25 (18, 12). 40 (26, 2). 210 (78, 5). *milia:* 169 (70, 1). *singuli:* 44 (27, 5).

Genetivum partitivum et formam *divum* substantivo *primas:* 69 (33, 4)[86]) coniunctam esse puto.

Apud *unus, alius* similia, quorum pleraque, qua ratione inter se componantur, postea producam, saepius genetivus relativorum partitivus apparet.

Iam apud priscos floruit genetivus partitivus spectans ad materies (g e n e t i v u s m a t e r i a e), quem Martianus Capella compluribus locis adhibuit: ut *auri compedibus:* 7 (8, 17 sq.). *ex ferri . . . urna:* 17 (14, 10). *ex illa argenti* (sc. *urna*): 18 (14, 21 sq.).

G e n e t i v i o b i e c t i v i haec exempla praebeo:

istos Hymenaei versiculos: 2 (4, 5)[87]). *coniugis amore:* 4 (5, 20). *in Palladis iniuriam:* 6 (7, 3). *honorationis celsae affectatione:* 7 (8, 11). *praesagiorum . . . memoriam:* 10 (10, 9 sq.). *praecedentis officio:* 26 (18, 24). *eius studio:* 36 (22, 22). *in Maiugenae officium:* 20 (15, 15). *in participatum operis:* 20 (15, 16 sq.). *Philologiae . . . amore:* 36 (22, 21 sq.). *sititor . . . sanguinis:* 82 (36, 8 sq.). *fiducia compertorum:* 131 (57, 19). *ab aeris regno:* 149 (64, 5).

Nonnullis aliis locis genetivus obiectivus miscetur genetivo subiectivo.

G e n e t i v u s q u a l i t a t i s, qui plerumque cum attributo apparet, a Martiano Capella saepissime adhibetur; e permultis exemplis talia cognoscamus:

---

[84]) Adiectivum *grandaevus* velut substantivum genetivo partitivo coniunctum hoc solo loco invenitur: Thes. 1. L. VI2, 2176, 80 sq.

[85]) Substantiva genetivum partitivum iuxta *uterque* praebentia, quae apud Martianum Capellam compluriens invenimus *(u. regum coniugum, u. Castorum),* apud alios linguae Latinae scriptores rarissime reperiuntur, sed saepius pronominum casus genetivus pronomini *uterque* coniunctus exstat.

[86]) *primatibus* = *primariis* aut *primoribus.*

[87]) cf. Mart. Cap. ed. Kopp. Frankf. 1835, pag. 1 et 7.

providum perspicacis prudentiae ... ingenium: 6 (7, 7 sq.). *insopibilis perennitatis igniculos:* 7 (8, 5)[88]). *hi ... cursus discoloris amnes:* 15 (13, 1). *in illum cruentae similitudinis ... aestum:* 15 (13, 13). *prisci generis doctissima virgo:* 22 (16, 8)*. *huius modi ... consensum:* 40 (25, 11 sq.). *septem radiorum coronam:* 40 (25, 15). *purpurae rutilantis puniceus quidam fulgor:* 73 (33, 21 sq.). *magni nominis vota:* 81 (36, 6). *quidam roboris inauditi:* 84 (36, 14). *quos ignitae substantiae ... suspicimus:* 150 (64, 16 sq.). *qui ... omnes minus lucidae ... naturae ... approbantur:* 154 (65, 20 sq.). *alii ... huius generis homines:* 159 (67, 10 sq.). *splendentis formae habitusque femina:* 172 (71, 3 sq.).

Loco 3 (5, 1 sq.): *coniugia procreationis undique numerosae* genetivus qualitatis aut genetivus relationis[89]), ut videtur, exstat.

V e r b i s casum g e n e t i v u m Martianus Capella r a r o c o n i u n x i t :

Iovis non erat: 39 (24, 20) = ‚es kam Juppiter nicht zu', ‚es war nicht Juppiters Sache[90])'.

genetricis habes: 1 (3, 16)*: Usus genetivi valde intricatus, cui similem nusquam inveni. Genetivus singularis *genetricis* hoc loco velut *a genetrice,* ut puto, intellegi vult, qui a verbo *habes* ad coniunctionem *seu* (v. 15 et 16) pertinente ducitur[91]).

A d i e c t i v i s casus g e n e t i v u s saepius c o n i u n g i t u r :

expers totius copulae: 40 (25, 12): *expers* genetivo coniunctum iam apud Plautum invenitur[92]).

consiliorum conscius: 25 (18, 13).

praeparatorum boethematum consciam: 114 (48, 2 sq.).

tanti laboris conscia: 139 (60, 16): *conscius* genetivo coniunctum iam apud priscos legitur.

plena undosae hiemis: 17 (14, 14 sq.): Apud priscos *plenus* tantum casum genetivum ducit, apud seros hoc adiectivum et ablativo copulatur.

indiga veri cura: 21 (15, 21 sq.)*: Adiectivum *indigus* genetivo coniunctum primum apud poetas invenimus[93]).

---

[88]) *insopibilis* hoc loco pertinet ad *perennitatis,* non ad *igniculos,* quae est opinio Georgesii (Lat.-d. Handwörterb.).

[89]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 401.

[90]) cf. iam. ap. Plaut. Capt. 583 script.: *est miserorum, ut;* vide et Cic. Tusc. II, 43: *virorum esse ... pati.*

[91]) Auctor fortasse talibus exemplis nixus est: *aliquid alicuius facere* et simil.; cf. Kühner-Stegmann, II 1 (1912), 452.

[92]) Schmalz-Hofmann, pag. 405.

[93]) Schmalz-Hofmann, pag. 404.

praeceptionis arcanus: 25 (18, 13): Adiectivum *arcanus* praecipue apud poetas adhibitum hoc loco active (= qui celat vel tacet) adhibetur, quem usum in prosa oratione praeter Martianum Capellam raro reperimus[94]), cum genetivo iunctum nusquam.

impigrum gerendorum: 23 (17, 13): Adiectivo *impiger* classici qui vocantur plerumque cum gerundii ablativo copulato utebantur[95]).

impatiens oneris atque etiam subvolandi: 28 (20, 4).
sui consimiles: 183 (73, 3).
praevia sortis: 125 (54, 5)*.
praesul operis Pallas: 66 (30, 16)[96]).
vorax omnium: 82 (36, 8).

Ablativum *gratia* genetivo coniunctum, cuius quidem usum post ablativum *causa* ortam esse, sed apud posteriores sensim increbruisse cognoscimus[97]), in Martiani Capellae libris I et II his locis legimus: *sudae perspicuitatis gratia:* 67 (31, 16 sq.). *servandi decoris gratia:* 112 (47, 11).

Respondet huic usui ablativus *merito* genetivo coniunctus, qui in seriorum scriptis saepius apparet[98]), sed a Martiano Capella raro adhibetur: *pignoris incliti . . . merito:* 92 (39, 9 sq.)*.

Formam *instar*[99]), quae cum genetivo copulatur, auctor saepius usurpavit: *flammarum instar:* 7 (7, 17 sq.). *lactis instar candidaeque lucis:* 14 (12, 3). *albidi salis instar:* 80 (35, 18). *lactis instar:* 114 (48, 5). *instar secreti Troiani:* 114 (48, 12). *instar speculi praenitentis:* 169 (70, 6). Quem usum sermonis primum apud Ciceronem (cf. In Verrem V, 44 et 89), Lucretium (VI, 805), Varronem, tum imprimis apud Augusteae aetatis poetas invenimus; sed apud Martianum Capellam (lib. I et II) hic usus tantum in prosa oratione apparet. *instar* genetivo coniunctum, quod locis supra allatis[100]) et ad casum nominativum et accusativum et ablativum spectat, et ante et post genetivum ei coniunctum exstat. *ad instar*[101]), quod ortum posterius inter alios Apuleius[102]) saepe adhibebat, in Martiani Capellae libris I et II nullo loco legitur.

---

[94]) Thes. l. L. II, 434.
[95]) Schmalz-Hofmann, pag. 599.
[96]) cf. et 203 (77, 3).
[97]) cf. Kühner-Stegmann, II 1 (1912), 422.
[98]) Wölfflin, ALL. I (1884), 174 sq. et VIII (1893), 590 sq.
[99]) Infinitivus *instar(e)* more substantivorum usurpatus; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 496.
[100]) ubi semper more adiectivi *similis* adhibetur.
[101]) Wölfflin, ALL. II (1885), 581 sq.
[102]) in opere, quod *Metamorphoses* inscribitur, nihil nisi *ad instar* reperitur.

Compluribus locis nomina propria casum genetivum perhibent: In enuntiato *nomen alicui est* summi auctores non genetivum, sed nominativum aut dativum proprii nominis cupiebant (cf. 112 [47, 8 sq.]: *cui Agrypnia vocabulum est*); at auctor in enuntiato *huic Athanasiae nomen fuit:* 134 (58, 21), si formam *Athanasiae* casum genetivum habemus, usum posteriorum pedestris sermonis scriptorum secutus est. Sententiae *Iustitiae ferebatur sortita vocabulum:* 128 (57, 4) et *Virium vocabulum possidebat:* 130 (57, 9) bonae Latinitatis legibus probantur[103]).

d) De ablativo:

De ablativo loci:

Certam legem, qua ratione substantivum *locus,* si quaeras ,ubi', adhibitum sit a Martiano Capella, afferre non possumus: Hoc nomine enim et cum ablativo et cum praepositione *in* utitur: ut *discretis ... locis ... mansitabant:* 44 (27, 4 sq.). *in his etiam locis .. degunt:* 164 (68, 12 sq.).

Priore loco: 209 (78, 3) iam apud Ciceronem legitur.

Sensim ablativus loci et alia nomina occupavit:

Casus locativus *augusto refulsere caelo:* 30 (20, 15 sq.) a sermone poetico repetitus esse videtur: adnoto similia: *supernis astra quem vibrant polis:* 32 (21, 21)*. *quid Iovis palatio gereretur:* 113 (47, 16 sq.). *quod quarto ius est te currere circo:* 187 (73, 20)*.

Libero usu nonnullis verbis casus ablativus („der Ortsruhe") coniungitur: *edito considentem arduoque suggestu:* 16 (14, 1)[104]). *throno, quo insidebat:* 20 (15, 13 sq.). *assidere confinio:* 216 (79, 7)[105]). *solio resedit:* 90 (38, 7). *constitit sublimiore quodam annixa suggestu:* 39 (24, 15 sq.)[106]). *quo* (sc. *alumno*) *innixa:* 143 (62, 8). *adytis ... defixerat:* 7 (8, 2 sq.)[107]). *amne mersaret:* 15 (13, 8).

Ablativi temporis hos locos adduco: *illo tempore ..., quo:* 162 (68, 5). *ipsis diebus forte:* 6 (7, 8). *natali die:* 7 (7, 12). *noctibus universis:* 37 (23, 16). *septimo mense:* 108 (45, 18). *hiemali pervigilio:* 2 (4, 18). *annua peragratione Zodiactea:* 5 (6, 9). *diluculo:* 97 (41, 12)[108]), e quibus elucet huius casus usum ab auctore omnino more classico adhiberi: Substantiva casum ablativum praebentia

---

[103]) Kühner-Stegmann, II 1 (1912), 420 sq.

[104]) Locus addendus Thesauro ling. Lat. IV, 432 sq.

[105]) Rarissimus usus; formam *confinio* et casum dativum intellegere possumus; cf. Thes. l. L. II, 879.

[106]) Thes. l. L. I, 781, 34.

[107]) Thes. l. L. V1, 340, 13.

[108]) cf. Cic. ad Attic. XVI. 13a. 1.

uno loco excepto semper cum attributis, quae plerumque substantiva antecedunt, iunguntur. Omnes locos, quos attuli, in prosa oratione inveni. Praepositionis *in* ablativo coniunctae, quam posteriores pro ablativo temporis saepius adhibebant, apud Martianum Capellam (lib. I et II) nulla exempla repperi[109]).

Cum auctor, ut comparativi formarum ope contentiones faciat, particulam *quam* spernat, sed saepius ablativum comparationis adhibeat, huius casus usum penitus cognoscemus:

His locis librorum I et II ablativus comparationis apparet: *nec aliquid dulcius . . . una coniuge:* 3 (5, 9 sq.). *intemeratiorque cunctis pulchriorque virginibus:* 6 (6, 21 sq.). *interior illo electro purior:* 14 (12, 11)[110]). *multo ditior fratre:* 80 (35, 21). *aliquanto bombis tympani obtusior:* 133 (58, 12 sq.). *interiore . . . medio solidior:* 140 (61, 2sq.).

In vetustissimorum scriptis (ut Löfstedt perhibet)[111]) ad conficiendas contentiones simplices ablativus compar. raro usurpatur[112]), sed saepissime exstat in sententiis negativis: Qua de causa unus tantum locus 3 (5, 9sq.) ad vetustiorum exempla spectare videtur. Gradum comparativum ablativo mensurae ductum scriptores optimi semper particulae *quam* iungebant[113]); sed locos 80 (35, 21). 133 (58, 12) supra allatos Martianus Capella recentiorum more adhibuit. Restat ut auctorem pluribus locis raro usu comparativum ante casum ablativum posuisse memorem:

Reperitur forma ablativi ante gradum comparativum	Reperitur gradus comparativus ante formam ablativi
ter	quater

Aliis constructionibus, quibus ablativum comparationis seriores saepe summovebant[114]) (ut gen. comp., dat. comp., praepositiones), Martianus Capella uti non solebat; unum tantum exemplum praebeo: *sono ultra solitum dulciore:* 27 (19, 13 sq.).

Ablativi causae, qui saepius ablativo instrumentali miscetur, nonnulla exempla vocabulis affectum significantibus coniuncta memoro:

---

[109]) v. de praepositionis usu allata.

[110]) respice hic chiasmum.

[111]) E. Löfstedt, Syntactica I (1928), cap. 16 (abl. comp.), 235 sq.

[112]) floruit hic usus demum apud Horatium atque Ovidium (cf. Met. XIII, 789 sq.).

[113]) K. P. R. Neville, The case-construction after the comparative in Latin. Cornell Studies in Class. Philol. XV (1901), 34 sq.

[114]) E. Löfstedt, Syntactica I (1928), 256.

Phoebo gaudet Parnasia rupes: 11 (10, 11 sq.)[115]. *empyrio... mundo gaudentem:* 202 (76, 21). *Arabicis laetabatur halatibus:* 215 (79, 6). *laetus primo omine:* 30 (20, 19 sq.).

A b l a t i v u s o r i g i n i s exstat hoc loco:

Manes..., qui parentum seminibus manaverunt: 160 (67, 21 sq.).

A b l a t i v u s r e s p e c t u s (limitationis) plerumque apud adiectiva aut participia apparet:

mitis omnia quietusque motu: 14 (12, 4)[116]. *gressibus tardus:* 70 (33, 6). *solus honore:* 188 (74, 1)*. *flagrans ore Cupido:* 1 (3, 14)*. *nihil differens animo:* 109 (46, 11). *suis partibus perfectus:* 107 (45, 10). *tenore versa carminis:* 121 (51, 24)*. *his audita:* 194 (75, 1)[117]. *Transcursa... parte magna fabula* (sc. *est*): 219 (79, 20)*.

Ablativum respectus etiam hae formae verbis ductae praebere mihi videntur: *ut... corpore moveretur:* 23 (17, 4 sq.). *facie... ingressus est pueri renidentis:* 76 (35, 6 sq.).

A b l a t i v u s q u a l i t a t i s, qui apud posteriores paulatim cedit genetivo qualitatis[118], et a Martiano Capella rarius usurpatur; sed auctor huius casus usum non spernit:

frugesque sationum larga admodum ubertate: 71 (33, 16). *Luna leni quodam teneroque vultu:* 77 (35, 13 sq.). *licet femineis numeris aestimetur:* 106 (44, 16). *quidam dulcis sonus multifidis suavitatibus:* 117 (49, 6). *tres puellae vultu decoreque parili:* 132 (57, 21 sq.). *pinacem argumentis talibus:* 174 (71, 18). *perfecta numerus ratione:* 187 (73, 21)*. *quae diversa specie* (sc. *erant*): 16 (14, 3). *tertia liventis plumbi fusili robore videbatur:* 16 (14, 6); adde 193 (74, 16)*.

A b l a t i v u s m e n s u r a e, qui spatii modum reddit, compluriens verbis coniungitur:

qui vix decem stadiorum altitudine sublimatur: 149 (64, 10 sq.). *usque in Veneris circulum hemitonio transvolatur:* 181 (72, 13). *hemitonio sublevatam:* 194 (75, 1 sq.). *sescuplo itineris evehuntur:* 198 (76, 1).

A b l a t i v u m p r e t i i semel inveni:

stent ardua magno: 22 (16, 19)*.

A b l a t i v u s m o d i a Martiano Capella rarissime nudus adhibetur: ut *iure:* 32 (21, 19)*. 125 (54, 26)*. *agmine (ire):* 123 (53, 3)*[119].

Cuius casus formae, quas auctor noster adiectivis aut genetivi attributis coniunxit, omnino iam apud classicos inveniuntur: ut *ratione, ritu, studio, more, nomine* al.

[115]) ex Verg. Ecl. VI, 29.

[116]) nota ablativum limitationis iuxta accusativum Graecum positum.

[117]) formam *his* et pro ablativo instrumenti habere possumus.

[118]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 432.

[119]) similia imprimis apud poetas apparent (Thes. l. L. I, 1340. 1346, 74).

D e a b l a t i v o a d i e c t i v i s d u c t o :

Casus ablativus adiectivis ductus omnibus fere locis vim instrumentalem praebet[120]): Ut apud

adiectiva verbalia, quae cadunt in *-bilis:*

mutabilis: 14 (12, 21). *laudabilis:* 127 (56, 25). *implacabilis:* 3 (5, 13 sq.),

adiectiva copiam significantia:

largus: 23 (17, 7 sq.)[121]). *opulentus*[122]): 80 (35, 22). 172 (71, 4). *opimus:* 7 (8, 18 sq.). *dis:* 7 (8, 19). *plenus:* 183 (72, 21 sq.)[123]).

Constat adiectivum *dignus*[124]) significare ‚geziert mit': 117 (49, 17)* et al. 121 (52, 3)*.

Adnoto porro haec adiectiva cum ablativo coniuncta:

amicus: 6 (7, 1 sq.). *praeceps:* 14 (12, 5 sq.). *festinus:* 14 (12, 21 sq.). *errabundus:* 14 (12, 24). *viridis:* 78 (35, 15 sq.). *pernix:* 88 (37, 9). *compar:* 93 (40, 9)*. *vultuosus:* 127 (56, 26). *sublimis:* 197 (75, 14 sq.).

D e a b l a t i v o q u i d e p e n d e t d e v e r b i s :

Verba *uti:* 122 (52, 16)* et *potiri:* 3 (5, 3 sq.) more classico cum nullo casu nisi ablativo iunguntur; eundem casum ducunt etiam *carere:* 115 (48, 15)[125]) et *fidere:* 118 (50, 3)*.

Haud paucorum verborum compositorum praepositiones casum ablativum postulant:

Compositum *abesse:* 8 (9, 9 sq.), quod apud plures praepositionem *ab* iuxta se habet, omnino rarius casum ablativum ducit[126]).

Mira ratione atque inusitata verbum *accire:* 58 (29, 6 sq.) ablativo coniungitur: Nam ante *bis septena (= quarta decima)* praepositio *a* aut *ex* (cf. 53 [28, 21]) nobis intellegenda est (*ex* ante *bis* add. D).

Simili modo *assumere* adhibetur hoc loco: *quarum alia Cancri cerebro, Leonis oculis altera, Geminorum fronte assumpta tertia dicebatur:* 75 (34, 12 sq.); cf. et 197 (75, 23).

Adnoto hunc usum notabilem: *solio rex ipse surrexit:* 97 (41, 13).

Sed saepius compositorum praepositiones casum ablativum poscere evidenter apparet:

matre Camena progenitum: 1 (3, 5 sq.)*. *Erythra progenita:* 159 (67, 16 sq.). *vena profluxerint:* 2 (4, 16). *stellis efflammantibus deflue-*

---

120) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 438 sq.

121) ablativus rarior quam genetivus apparet.

122) Plaut. Epid. 300. Sall. Liv. al.

123) casus ablativus post priscorum tempora legitur.

124) v. Schmalz-Hofmann, pag. 439.

125) verbum *carere* infinitivo coniunctum habes in 21 (16, 4)*, qui serus usus raro apparet: Thes. l. L. III, 455, 14.

126) sed hic usus iam apud Plautum invenitur; cf. Thes. l. L. I, 206, 50.

bant: 207 (77, 13 sq.). *lectica desiliens:* 200 (76, 8). *marito dependisse:* 4 (6, 2)[127]. *scenis depromere:* 121 (51, 19)*[128]. *egredientes corporibus animas:* 165 (68, 18). *sulcis emicuit:* 157 (66, 17). *throno ... exsurgens:* 20 (15, 13 sq.); cf. et 9 (9, 18 sq.).

Optimi scriptores personam agentem verborum passivorum praepositione *ab* vel *per* signant. Tantum poetae et nonnulli posterioris sermonis pedestris auctores illas praepositiones nudi ablativi usu compensant[129], quem apud Martianum Capellam raro invenimus: *quibus fuerat eblandita:* 88 (37, 15). *matre virginis missa* (sc. *Periergia*): 111 (47, 5)[130]. *ambita Musis ac matre praeambula*[131]: 215 (79, 2). *Periergia ... aliis comitata pedisequis:* 146 (62, 19 sq.)[132].

e) De vocativo:

Casus vocativi particulam *o* prae numero vocativi formarum, quarum 45 fere legi, in Martiani Capellae libris I et II rarissime tantum inveni:

o Hymenaee decens: 1 (3, 13)*. *o lux nostra:* 119 (51, 1)*. *o virgo:* 39 (24, 18).

Reliquae formae vocativi et nudae et attributis coniunctae adhibentur[133]: ut *Neptune:* 54 (28, 21). *Neverita:* 54 (28, 22). *dei:* 91 (39, 5)*. *superi:* 93 (40, 14)*. *virgo:* 117 (49, 17)*. 121 (51, 23)*. 124 (53, 12)*. 134 (58, 22). *pater:* 193 (74, 18)*. *lector:* 219 (79, 20)*. *tu Delie:* 24 (18, 5)*. *tuque Conse:* 54 (28, 22). *Lar omnium cunctalis:* 54 (28, 22). *grata propinquitas:* 91 (39, 5)*. *copula sacra deum:* 1 (3, 6)*. *beata virgo:* 126 (55, 4)*. *Iuno pulchra:* 149 (63, 10). *mi pater:* 2 (4, 9) al.

Discrepat usus substantivorum stirpis *-o:* ut

rex optime: 38 (24, 9). *vultus paterne:* 193 (74, 15)*.	formae vocativi.
fomes sensificus: 185 (73, 11)*. *mundanus oculus:* 185 (73, 13)*.	formae nominativi metro ductae[134].

---

[127]) casus ablativus primum apud Sallustium ac Vergilium apparet; cf. Thes. l. L. V_1, 568, 31.

[128]) casus ablativus inde a Vergilio invenitur; cf. Thes. 1. L. V_1, 616, 8.

[129]) cf. Kühner-Stegmann, II_1 (1912), 377 sq.

[130]) *a* ante *matre* add. A1Dv. Sermo auctoris hoc loco ad ablativum instrumenti vel causae, qui prope sit *(trepidatione sollicita)*, spectare videtur.

[131]) an *matre praeambula* abl. abs.?

[132]) Locus addendus Thesauro ling. Lat. III, 1815.

[133]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 373 sq.

[134]) quocirca non ex libidine impositae; cf. F. Skutsch, ALL. XV (1908), 41 sq.

Casus vocativus plerumque apud Martianum Capellam in carminibus invenitur, compluriens in sermonis pedestris orationibus apparet. Mirum locum tenet vocativus his locis: 50 (28, 13). 54 (28, 21 sq.), ubi apostropha[135]) enumerationi inseritur.

II. De adiectivo pro substantivo adhibito[136]):

Iam prisci manum dexteram aut sinistram adiectivo pro substantivo adhibito *(dextra, sinistra, laeva)* perhibebant[137]). In Martiani Capellae libris I et II saepius forma *d e x t e r a (dextra)*, quae nullo loco substantivo *manus* coniungitur, invenitur: 17 (14, 17: acc.). 29 (20, 8: abl.). 66 (30, 20: abl.). 67 (31, 17: abl.). 70 (33, 8: abl.). 73 (34, 3: abl.). 77 (35, 12: abl.). 82 (36, 10: abl.). 135 (59, 2: abl.). 176 (71, 23: abl.). 214 (78, 26: abl.).

Respondet huic formae apud auctorem nostrum adiectivum *l a e v a* (sc. *manus*): 66 (30, 21: abl.). 67 (31, 18: abl.). 82 (36, 10: abl.). 176 (72, 1: abl.), quod itidem substantivum *manus* nusquam iuxta se tenet; sed formam *s i n i s t r a* apud alios usitatissimam semel tantum adhibitam eamque illi substantivo copulatam inveni: *sinistra autem manu:* 77 (35, 11).

l i m i s (sc. *oculis*): 84 (36, 16).

s o c i u s et *a m i c u s* a Martiano Capella et substantive et adiective adhibentur (cf. indicem infra allatum); at nomina *i n f a n s :* 7 (8, 12) ac *i n i m i c u s :* 47 (28, 7) non nisi substantivorum more ponuntur.

Persaepe substantivorum usu usurpantur n e u t r i p l u r a l i s a d i e c t i v a, quorum pleraque exempla praebeo:

adversis: 130 (57, 7). *aperta:* 123 (53, 1)*. *arcana:* 22 (16, 14)*. *arcanis:* 140 (61, 5). *ardua:* 22 (16, 19)*. *certa:* 91 (38, 17)*. *contiguis:* 24 (17, 17)*. *cuncta:* 112 (47, 12). *futura:* 26 (19, 4). 32 (21, 15)*. *humana:* 32 (21, 11)*. *ignota:* 203 (77, 1). *ima:* 7 (8, 15). 126 (56, 18)*. *infera:* 195 (75, 4). *innumera:* 113 (47, 19). *ludicra:* 220 (80, 9)*. *media:* 11 (11, 4). *multa:* 99 (42, 13). 113 (47, 13). *obliqua:* 37 (23, 19). *omnia:* 130 (57, 11). 141 (61, 15). *operta:* 123 (53, 7)*. *parallela:* 37 (23, 19). *penita:* 9 (9, 12)[138]). *plurima:* 40 (26, 1). *varia:* 203 (77, 1). *sacra:* 191 (74, 11)*. 206 (77, 12). *serenis:* 74 (34, 7). *supera:* 131 (57, 16). *ultima:* 70 (33, 9). *universa:* 133 (58, 11). 146 (63, 1).

Haec adiectiva more substantivorum usurpata et nuda et attributo aut appositioni coniuncta apparent: Quorum pleraeque formae

---

[135]) Respicere iuvat qualia varia verba in §§ 45—60 auctor adhibuerit.
[136]) cf. Nägelsbach, Lat. Stilistik[9] (1905), 104 sq.
[137]) Schmalz-Hofmann, pag. 456.
[138]) priscorum more usurpatum.

hos casus praebent, quos commode (ut nom. et acc.) neutri generis cognoscere possumus; nonnullae quosdam locos significant, quem sermonis usum apud Livium et Tacitum saepius invenimus[139]). Permulta neutri pluralis adiectiva Martianus Capella poetas Augusteae aetatis secutus in carminibus adhibuisse videtur.

A d i e c t i v a   n e u t r i   s i n g u l a r i s more substantivorum adhibita multo rarius exstant.

P a r t i c i p i o r u m simili ratione pro substantivis adhibitorum in Martiani Capellae libris I et II f o r m a e   p r a e s e n t i s rarissime inveniuntur, quarum exempla praebeo: *fulgentia:* 17 (14, 12). *prorumpentia:* 89 (38, 3).

At multo saepius f o r m a e   p a r t i c i p i i   p e r f e c t i   p a s s i v i apparent[140]), quibus fere omnibus iam classici qui vocantur aut auctores ante Martianum Capellam utebantur. Quarum formarum permultas imprimis numeri pluralis carmina signare iterum notandum habeo. Usurpat auctor noster participia perfecti passivi pro substantivis adhibita et nuda et, quo magis substantivorum speciem praebeant, attributis aut appositionibus coniuncta, quorum pleraque testimonia confero:

Formae numeri singularis: *id deditum:* 3 (5, 5). *compar propositum:* 24 (18, 6)*. *rationabili ... proposito:* 5 (6, 16sq.). *regalis serti:* 66 (30, 14). *dominandi sertum:* 79 (35, 17). *secretum cubiculi:* 114 (47, 21). *secreti Troiani:* 114 (48, 12). *Ioviale decretum:* 40 (25, 21). *senatus consulto:* 40 (25, 23 sq.).

Formae numeri pluralis: *addita:* 21 (16, 7)*. *nocturna admissa:* 191 (74, 9)*. *annexa:* 11 (11, 5). *coeptis:* 24 (18, 10)*. *compertorum:* 131 (57, 19). *concepta:* 2 (4, 16). *superum decretis:* 99 (42, 12). *haec dicta:* 117 (49, 15). *disposita:* 2 (4, 15). *dispositis:* 18 (14, 20). *elata:* 149 (64, 11). *icta:* 13 (11, 19). *hemitonii interiecta:* 196 (75, 5). *iussa:* 22 (16, 17)*. *iussa deum patris:* 91 (38, 19)*. *dissona nexa:* 1 (3, 8)*. *occulta futuri:* 190 (74, 8)*. *orsa:* 91 (39, 8)*. *paterna ... praecepta:* 31 (20, 24)*. *praeceptis Iovialibus:* 35 (22, 20). *praedicta:* 2 (4, 12). 112 (47, 7). *praeversa ... sensa:* 24 (18, 8)*. *sensa decentia:* 91 (39, 4)*. *serta laurigera:* 19 (15, 10). *serta:* 121 (52, 1)*. *ima subiecta:* 67 (31, 19). *hominum votis:* 3 (5, 13). *vota propaginis:* 91 (39, 6)*.

Denique pleraque nomina a Martiano Capella et adiective et substantive adhibita affero, quorum quae attuli non omnes locos praebeo:

---

139) cf. Nägelsbach, Lat. Stilistik[9] (1905), 120.
140) v. Schmalz-Hofmann, pag. 457 sq.

nomen	adiective adhibetur	substantive adhibetur
amicus	*amicam temperiem*: 186 (73, 17 sq.)*.	*indiscreto amica foedere*: 6 (7, 1 sq.). *complacitis amica Musis*: 119 (50, 15)*.
socius	*socium . . numen*: 24 (17, 18)*.	*sociam filio*: 180 (72, 10 sq.).
caelestis	*secretum caeleste*: 41 (26, 6). *flammarum caelestium*: 109 (46, 13). *caelestes . . numeros*: 213 (78, 15 sq.).	*caelestium*: 7 (8, 20). *caelestum*: 65 (30, 11). (i. *deorum)*. cf. et 154 (66, 1).
caeles	*in aulam caelitem*: 62 (29, 15).[141] *in appetitum caelitem*: 94 (40, 23 sq.). *ad senatum caelitem*: 196 (75, 13).	*caelites*: 43 (27, 1). 150 (64, 19). *caelitum*: 31 (21, 1)*. 67 (31, 10). (i. *numina* aut *potestates* aut *dei)*.
superus	*superum carmen*: 11 (11, 8 sq.). *superam sortem*: 64 (30, 4). *lege supera*: 33 (22, 3)*.	*volitantis superi*: 7 (8, 23). *superum . . potestas*: 22 (16, 18)*. (i. *dei* et *deorum)*.[142] cf. et 217 (79, 10).
superior	*superior portio*: 156 (66, 9). *sphaerae superioris*: 150 (64, 18).	*superiorum*: 7 (8, 21). (i. *deorum)*.
alumnus	*alumna stagna*: 28 (20, 4 sq.).[143]	*alumna terrarum*: 86 (37, 4 sq.). *alumnum suum*: 143 (62, 7). cf. et 173 (71, 13).
germanus	*germana facies*: 83 (36, 13).	*germano . . suscepto*: 20 (15, 16 sq.).[144] *huius germana*: 128 (57, 2). *fidissimus germanus*: 152 (65, 16). cf. et 183 (73, 2). 210 (78, 4).
iugalis	*thalamum . . iugalem*: 126 (55, 6)*.	*parilem . . iugalem*: 22 (16, 20)*. cf. etiam 31 (21, 7)*. 39 (24, 16): Praedictis locis *iugalis* significat 'Gatte' ('Gattin').[145]

---

[141]) adiectivum *caeles* cum nomine rei Ov. fast. I, 236 et sero usurp.; cf. Thes. l. L. III, 67, 27.

[142]) ad deos spectans more poetico usurpatum.

[143]) pro adiectivo active sero positum; cf. Thes. l. L. I, 1798, 71.

[144]) cf. Thes. l. L. VI2, 1916, 48.

[145]) hac significatione sero usurpatum.

nomen	adiective adhibetur	substantive adhibetur
		iugales 'Gespann' exstat his locis:[146]) *Phoebi . . iugalibus*: 92 (40, 1)*. *candidos iugales*: 126 (55, 18)*.
maritus	*deos maritos*: 40 (25, 18).[147])	*mariti . . voluntatem*: 30 (20, 21). *maritam*: 126 (55, 10)*. (i. q. 'Gatte' ['Gattin']). cf. et 4 (6, 2).
sponsalis	*sponsales . . adventus*: 209 (78,1).	*sponsalium* (neutr. pl.) *nomine*: 217 (79, 11).
mortalis	*mortalibus . . artubus*: 109 (46, 14). *mortales puellae*: 149 (63, 17). *mortale genus*: 21 (15, 21)*. *mortalis virginis*: 168 (69, 14).	*commeritis mortalibus*: 18 (14, 23). *mortales*: 94 (40, 22). *singulis mortalibus*: 152 (65, 10). *mortalibus*: 158 (67, 3). (i. *homines*).
caducus	*caducae . . substantiae*: 141 (61,17).	*caducis* (i. *hominibus*): 125 (54, 21)*. 126 (56, 14)*.[148])
vigil	*cura vigil*: 124 (53, 14).*[149])	*duos vigiles*: 38 (24, 10).
grandaevus	*grandaevos pontifices*: 3 (5, 11 sq.). *coniunx grandaeva*: 71 (33, 12).	*dearum grandaevas*: 40 (25, 18).
pedisecus	*pedisecus . . comitatus*: 26 (19, 6 sq.).[150])	*tuis . . pedisequis*: 39 (25, 3 sq.). cf. etiam 111 (47, 4). 215 (79, 3) cet.
praesul	*praesules deos*: 203 (77, 3).	*ipsi praesuli*: 197 (75, 18). *elementorum praesules*: 62 (29, 11 sq.) al.

III. De comparatione.

a) De comparativo:

Gradum comparativum optimi linguae Latinae scriptores exceptis adiectivis, quae cadunt in *-ius, -eus, -uus*, suffixis *-ior, -ius* fingere solebant. Quem usum Martianus Capella accuratissime servavit; quin

[146]) poetico more usurpatum.
[147]) adiective a poetis praecipue adhibitum.
[148]) substantivum (de animantibus) plerumque apud seros legitur (Thes. l. L. III, 34).
[149]) adiectivum saepius in sermone poetico invenitur.
[150]) nomen *pedisecus* adiective rarius quam substantive adhibetur.

etiam nullo loco adiectivum particula *m a g i s* auxit. Restat ut formam *magis* in libris auctoris I et II semel tantum enuntiatumque augentem inveniri memorem: *magisque cum ... conspiceret:* 19 (15, 4).

Alioquin in versibus formam *m a g e* apud priscos usitatam bis reperimus[151]): *sed numquam mage velle disparamus ... quam cum:* 24 (17, 20 sq.)*[152]). *ut dubium, proprium quis mage vendicet:* 92 (40, 4)*.

In Martiani Capellae libris I et II additis adverbiis gradum comparativum praebentibus hunc gradum 84[153]) locis positum inveni, ubi semper ab auctore ad optimas leges fingitur.

Adnoto hoc loco formam *p r i m o r e s :* 10 (10, 8), quam sententiam Sommeri (IF. XI, 64 sq.) secutus ex superlativo *primus* et comparativo *prior* contaminatam esse puto[154]).

Gradus positivus adverbio (ut *plus* aut al.) coniunctus in Capellae libris I et II nusquam comparativi locum tenet; gradus comparativus etiam nullo loco sero more formae *plus* copulatur[155]). Comparativi formam *p l u s* semel tantum non comparativa sententia adhibitam (i. q. *complures*) invenimus: *dum paret pluribus:* 5 (6, 7).

Formam *q u a m p l u r e s*[156]) ab auctore saepius usurpatam: 11 (10, 20). 14 (12, 15). 36 (22, 23). 43 (27, 1). 88 (37, 11). 138 (60, 2) utrum comparationis anomalon (gradus comparativus pro gradu superlativo)[157]) an lectionem pro *complures* plerumque male traditam[158]) intellegamus, decernere non audeo; sed ego quidem formam *quamplures* locis supra allatis omnino bene traditam pro *complures* scriptam esse puto. —

Constat, cum gradus comparativus praecipue apud posteriores augendi vim omittat[159]), Martianum Capellam c o m p a r a t i v i f o r m a s, quarum numerum praestantissimum supra attuli, non omnibus locis certo augendi usu adhibuisse, sed interdum m o r e p o s i t i v i aut superlativi p o s u i s s e : ut *filiae honoratiori:* 7 (7, 14).

[151]) cf. Stolz-Leumann, pag. 176. F. Skutsch, Kleine Schriften (1914), 352.

[152]) *magis quam* apud alios saepissime invenitur; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 464.

[153]) e quibus 8 in carminibus exstant.

[154]) cf. etiam E. Fraenkel, Graeca-Latina. Glotta IV, 43 sq.

[155]) Cave igitur, cum E. Wölfflin, Ausgewählte Schriften (1933), 162 inter pauca exempla etiam unum ex Martiano Capella praebeat: *plus solito laetior:* 727 (364, 21), ne illum comparativi usum auctoris nostri sermoni proprium esse habeas.

[156]) saepius *quam plures* seposita codices tradunt.

[157]) E. Wölfflin, Ausgew. Schriften, pag. 179.

[158]) Thes. l. L. III, 2107.

[159]) Wölfflin, Ausgew. Schriften, pag. 176: quem comparativum „inutilem“ Duhn vocavit.

ex purgatioris auri splendente vena: 7 (7, 15 sq.). *flamma flagrantior:* 17 (14, 9). *primus diffusioris ac prolixi ambitus gurges:* 14 (11, 24 sq.)[160]. *quin crebrius in nos ius habet illa:* 22 (16, 16 sq.)*. *decentior caelitum:* 121 (52, 4)*[161]. *quaedam augustioris vultus femina:* 134 (58, 16 sq.). *Aristoteles ... Entelechiam scrupulosius requirebat:* 213 (78, 16 sq.).

Caveamus autem, ne omnes comparativi formas, quarum vim augendi non statim cognoscimus, huic sermonis usui ascribamus; nam nonnullas auctor aliis sententiae partibus eleganter opponit: ut *eminentiora prolixarum arborum culmina:* 11 (11, 1 sq.): cui respondet: *quicquid vero terrae confine ... fuerat:* 11 (11, 3 sq.). *nam una ex ferro ... duriore, alia ex argenti fulgentiore materie:* 16 (14, 4 sq.): vide antithesin.

modis raucioribus: 28 (20, 2 sq.): vide alios circulos.

dextera porrectiore: 66 (30, 20 sq.): cui respondet *laeva* (sc. *non porrecta*): 66 (30, 21).

Rei nomen, cui aliquid comparatur, apud Martianum Capellam, ut supra dixi, plerumque ablativum comparationis praebet, rarius comparativi formam particulae *quam* coniunctam sequitur: ut *qui ... omnes minus lucidae ... naturae quam illi caelestes ... approbantur:* 154 (65, 20 sq.). cf. etiam 24 (17, 20 sq.)*.

b) De superlativo:

Gradum superlativum in Martiani Capellae libris I et II omnino optimis legibus fictum 66 locis[162] inveni, cuius formae et gradum superlativum et gradum elativum ostendunt, quin etiam nonnullis locis non alia significatione cum gradu positivo conveniunt. Auctor noster igitur Apulei usum, cui superlativi formas iam inusitatissimas esse constat[163], non sequitur. Praeterea nomina ad summum gradum augens auctor adverbiis adiuvatur[164], quibus, ut supra dixi, pro comparativo nullo loco utitur; sed adverbia hac ratione adhibita non nisi apud gradus positivi formas haud crebro apparent.

Summi gradus forma particula *quam* aucta semel tantum invenitur: *speciosa quam maxime:* 7 (7, 11).

---

[160]) Comparativus hoc loco iuxta gradum positivum apparet.

[161]) cf. *facetior ... deorum:* 331 (153, 11).

[162]) ex illis 7 in carminibus exstant.

[163]) v. M. Bernhard, Der Stil des Apuleius von Madaura. Tüb. Beiträge II (1927), 109.

[164]) qui usus iam a Plauto et Terentio adhibitus apud seriores iterum increbruit.

Adverbium *a d m o d u m,* quod significat ‚völlig', i. q. ‚so, daß das Maß ausgefüllt wird[165])' *(admodum = valde)*[166]), ab Apuleio[167]) et posterioribus vi augendi saepius usurpatur; apud Martianum Capellam (lib. I et II) his locis exstat: *admodum perspicui operis:* 2 (4, 13 sq.). *paucis admodum foliis:* 10 (9, 21). *algidis admodum pigrisque cursibus:* 14 (12, 2). *vesti admodum candidae:* 66 (30, 17). *calcei admodum furvi* (sc. *erant*): 67 (31, 20 sq.). *larga admodum ubertate:* 71 (33, 16). *admodum gravis femina:* 86 (37, 4). *femina ... admodum gloriosa:* 131 (57, 15 sq.). *difficile admodum sibi ... deputabat:* 143 (62, 5 sq.). *quod admodum pulchra:* 181 (72, 15).

Auctor igitur adverbio *admodum,* quod — ut in Apulei libris — et ante et post suum adiectivum scriptum invenimus, excepto loco 150 (64, 21) semper adiectiva gradum positivum praebentia auget. Si adiectivum substantivo coniunctum adhibetur, *admodum* saepius inter haec nomina exstat[168]).

Restat ut haec adverbia tantum memorem, quae vim augendi praebentia Martianus Capella positivi formis copulet:

n i m i s : 93 (40, 8)*. *p e n i t u s :* 114 (48, 12).

Hoc loco etiam assero *p r o r s u s :* 172 (71, 9).

G r a d u s s u p e r l a t i v u s, cum vim augendi paulatim amittat, imprimis apud posteriores, de quo sermonis usu viri docti satis disseruerunt[169]), i u x t a g r a d u m p o s i t i v u m saepius apparet. Wölfflin[170]) ex Martiani Capellae libris hoc exemplum praebet: *quaedam decens ac pudicissima puellarum:* 174 (71, 15), cui addo ex libris I et II hos locos: *de proximo contiguoque:* 39 (24, 17). *fortissima ac ... infracta:* 130 (57, 7 sq.). *moderantem ... -que ... plenissimam:* 183 (72, 21 sq.). *fidi amantissimique germani:* 210 (78, 4)[171]).

Simili more adhibentur: *vitae insignis elatio et maximum culmen meritorum:* 94 (40, 22 sq.)[172]). *circumspectione cautissima et ... vigili distinctione:* 127 (56, 28 sq.)[172]). *tam pulchrae ... quam ornatissimae:* 218 (79, 18).

Multis locis praedictis formae superlativi vixdum vim elativi tenent[173]).

[165]) Wölfflin, Ausgew. Schriften, pag. 144.

[166]) sic interpret. glossae; cf. C. Gl. L. V, 44, 26.

[167]) M. Bernhard, Apuleius, pag. 108.

[168]) cf. Wölfflin, Ausgew. Schr., pag. 144.

[169]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 465. W. Kroll, RhM. 52 (1897), 586 sq. W. A. Baehrens, Glotta 5 (1914), 92 sq.

[170]) Wölfflin, Ausgew. Schr., pag. 173.

[171]) Participium *amantissimi,* quod loco allato exstat, passive adhibetur, quem usum e plebeio sermone apud priscos ortum esse putant; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 544. F. Buecheler, Kleine Schriften III (1930), 291 sq.

[172]) vide chiasmum.

[173]) cf. etiam superlativi formam comparativo coniunctam: 426 (211, 10 sq.).

B. De pronomine.

I. De pronomine personali:

De pronominibus personalibus primum moneo formam *ego* in Martiani Capellae libris I et II semel tantum inveniri: *hic ego te Heram ... voco:* 149 (64, 4 sq.)[174]: *ego* hoc loco haudquaquam magnam vim praebet, sed ad pronomen *te,* quod iuxta se tenet, spectare videtur. Quo sermonis usu Martianum Capellam virum cultissimum atque sermone plebeio intactum fuisse cognoscimus[175]), qui pronomen *ego,* quod inter alios apud Apuleium persaepe exstat, etiam in orationibus spernit.

Formam *mihi* bis repperi: 92 (39, 11)*. 149 (63, 15).

Alias primae singularis personae formas nullo loco inveni.

Primae personae formae plurales bis in versibus apparent, ubi Phoebus Apollo de se deisque loquitur: 21 (16, 2)*. 22 (16, 16)*; bis porro alterna vi adhibitae maiorem vim praestant: *vos disciplinas omnes ac nos sacrate Musas:* 126 (56, 21 sq.)*. *et nos* (sc. *mortales) ... nominemus:* 149 (63, 11 sq.)[176]).

Hoc loco et posteriorum scriptorum morem[177]) memorabo, qui pronominis personalis genetivo pro possessivi forma saepius uterentur: ut *o virgo, nostri pars melior:* 39 (24, 18). *nunc tibi, virgo, cano, spes atque assertio nostri:* 121 (51, 23)*.

Alterius personae formae singulares saepissime quidem leguntur, sed saepius carmina plerumque deos celebrantia signant:

Pronominis personalis alterius singularis personae formae inveniuntur locis:	
in prosa oratione	in carminibus
15	30

Formae sermonis pedestris excepto uno loco 54 (28, 22) iam supra (cf. ea, quae de vocativo perhibui) allato omnino in orationibus exstant.

Secundae pluralis personae personale ter in carminibus: 126 (56, 17. 19. 21)*, bis in orationibus: 25 (18, 12: *vestrum*). 25 (18, 16) invenitur: forma *vos:* 50 (28, 13) stilo digna enumerationi inseritur (cf. supra allata).

---

[174]) *ergo* perperam rMDγ.

[175]) cf. Bernhard, Apuleius, pag. 111 sq. Schmalz-Hofmann, pag. 469.

[176]) formae *nos* hoc loco respondet *consortium caeleste.*

[177]) Ille sermonis usus, qui iam apud Florum apparet, etiam in Minucii Felicis. Apulei, Tertulliani, al. scriptis invenitur; cf. Wölfflin, ALL. VII (1892), 480.

P r o n o m i n i s   r e f l e x i v i   nihil memorandum habeo: Saepissime formae *se* (11^{es}) et *sibi* (13^{es}) apparent. Genetivus *sui* his duobus locis exstat: *sui miraculo:* 157 (66, 14). *suique consimiles:* 183 (73, 3).

Magna in dicendo vi aucta forma[178]) *semet:* 125 (54, 10)* postulatur.

De pronominibus personalibus praepositioni *cum* coniunctis (ut *secum* et cet.) confer ea, quae infra de praepositionibus afferentur.

II. De pronominibus possessivis:

Pronominum possessivorum formae apparent in locis	*meus* *noster*	*tuus* *vester*	*suus*
prosae orationis	4	3	17
carminum	11	6	—

III. De pronominibus demonstrativis[179]):

Pronomen demonstrativum **h i c** in Martiani Capellae libris I et II 89^{es} scriptum inveni; exstat 8^{es} in carminibus; quod pronomen flectitur hoc modo:

<table>
<tr><th rowspan="2"></th><th colspan="3">numerus singularis</th><th colspan="3">numerus pluralis</th></tr>
<tr><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th></tr>
<tr><td>nom.</td><td>7</td><td>10</td><td>5</td><td>3</td><td>—</td><td>2</td></tr>
<tr><td>gen.</td><td colspan="3">6</td><td>—</td><td>—</td><td>—</td></tr>
<tr><td>dat.</td><td colspan="3">4</td><td colspan="3">3</td></tr>
<tr><td>acc.</td><td>3</td><td>7</td><td>4</td><td>6</td><td>1</td><td>7</td></tr>
<tr><td>abl.</td><td>—</td><td>6</td><td>—</td><td colspan="3">15</td></tr>
</table>

Demonstrativum *hic,* quod apud auctorem plerumque more substantivorum adhibetur, saepius primum enuntiati locum tenet.

I s pronomen, quod 112 locis deprehendi, quorum duo tantum in versibus inveniuntur, apud Capellam rarissime, ut etiam in Apulei scriptis[180]), adiective usurpatur[181]); hi casus apparent:

[178]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 469.
[179]) Wölfflin-Meader, ALL. XI (1900), 369 sq. et XII (1902), 239. 355. 473.
[180]) Bernhard, Apuleius, pag. 115.
[181]) 7 huius usus locos inveni.

<table>
<tr><th rowspan="2"></th><th colspan="3">numerus singularis</th><th colspan="3">numerus pluralis</th></tr>
<tr><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th></tr>
<tr><td>nom.</td><td>1</td><td>—</td><td>3</td><td>1</td><td>—</td><td>—</td></tr>
<tr><td>gen.</td><td colspan="3">44</td><td>3</td><td>1</td><td>2</td></tr>
<tr><td>dat.</td><td colspan="3">8</td><td colspan="3">1</td></tr>
<tr><td>acc.</td><td>13</td><td>16</td><td>6</td><td>6</td><td>—</td><td>—</td></tr>
<tr><td>abl.</td><td>1</td><td>1</td><td>5</td><td colspan="3">—</td></tr>
</table>

Rarissime adhibetur pronomen demonstrativum **iste,** quod his locis comprehendi: *istos Hymenaei versiculos:* 2 (4, 5). *quid istud ..?:* 2 (4, 9). *arbitrio ... isto:* 24 (17, 23)*. *ista:* 124 (53, 14)*: cui formae respondet *hoc* (v. 13). *ex ... istorum comitatu:* 152 (65, 8 sq.): cui pronominis formae respondet *illorum* (lin. 8).

Praeterea forma *istaec:* 141 (61, 17) ratione pronominis *hic* ficta legitur[182]).

iste ab auctore non certis legibus usurpatur: Exstat et in sermone pedestri et in carminibus, et in fabula et in oratione, adhibetur vel substantive vel adiective. Quod demonstrativum Apuleius, ut Wolterstorff[183]) perhibet, saepissime (237^{es}) usurpavit; sed errat Bernhard, ut ex supra dictis apparet, qui pronomen *iste* in omnium Afrorum scriptis saepius inveniri moneat[184]).

Crebrius auctor noster demonstrativum **idem** adhibuit, cuius hae formae leguntur:

<table>
<tr><th rowspan="2"></th><th colspan="3">numerus singularis</th><th colspan="3">numerus pluralis</th></tr>
<tr><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th><th>masc.</th><th>fem.</th><th>neutr.</th></tr>
<tr><td>nom.</td><td>6</td><td>2</td><td>—</td><td>—</td><td>—</td><td>—</td></tr>
<tr><td>gen.</td><td colspan="3">5</td><td>—</td><td>—</td><td>—</td></tr>
<tr><td>dat.</td><td colspan="3">6</td><td colspan="3">1</td></tr>
<tr><td>acc.</td><td>—</td><td>—</td><td>—</td><td>1</td><td>1</td><td>1</td></tr>
<tr><td>abl.</td><td>2</td><td>9</td><td>—</td><td colspan="3">1</td></tr>
</table>

Pronomen *idem,* quod 35 locis scriptum 16^{es} more substantivorum, sed 19^{es} adiective adhibetur, semel tantum in carminibus appa-

[182]) v. Stolz-Leumann, pag. 289.
[183]) G. Wolterstorff, Glotta VIII (1917), 201.
[184]) Bernhard, Apuleius, pag. 115.

ret; spectat cum nullo alio demonstrativo coniunctum plerumque ad personas vel res ab auctore ante memoratas. At serum huius pronominis usum, qui ad articulum prope accedit, apud Martianum Capellam vix invenimus, praesertim cum *idem* haud raro substantivorum more usurpetur.

ipse tot locis legitur:

in prosa oratione	73
in carminibus	3
substantive adhib.	19
adiective adhib.	57

	numerus singularis			numerus pluralis		
	masc.	fem.	neutr.	masc.	fem.	neutr.
nom.	13	15	1	1	1	—
gen.	14			—	—	1
dat.	6			—		
acc.	7	6	—	—	—	—
abl.	5	3	2	1		

Si *ipse* nomini attributum est, plerumque ei praecedit, qua ratione adhibitum etiam ad articuli usum spectat[185]).

Pronomen *ipse*, quod significans ‚er, und kein anderer' a nonnullis viris doctis „Kontrastpronomen" perhibetur[186]), imprimis adiective usurpatum in multis Martiani Capellae locis illam vim valentem non praebet. Attamen auctorem hoc pronomen non eadem significatione atque *idem*, quem usum apud alios Afros floruisse constat[187]), adhibuisse puto.

Etiam pronomen demonstrativum **ille**, quod 70 locis scriptum legi, auctor noster Apulei usum haud secutus[188]) sermoni inseruit:

185) cf. G. Wolterstorff, Glotta VIII (1917), 203 sq.
186) Meader-Wölfflin, ALL. XII (1902), 364.
187) Meader-Wölfflin, ALL. XII (1902), 363.
188) Bernhard, Apuleius, pag. 114. G. Wolterstorff, Glotta VIII (1917), 197 sq.

Pronominis	in Apulei	substantive adhib.	193
ille formae	scriptis	adiective adhib.	334
inveniuntur	in Mart. Cap.	substantive adhib.	44
locis:	libris I et II	adiective adhib.	26

ille demonstrativum, quod Apuleius plerumque nomini postponere solebat[189]), apud Martianum Capellam (lib. I et II) plerisque locis nomini praecedit, ubi et saepius adiectivo coniuncto ad vim maiorem augetur; sed has formas praebet:

	numerus singularis			numerus pluralis		
	masc.	fem.	neutr.	masc.	fem.	neutr.
nom.	18	11	1	4	1	—
gen.	3			1	1	—
dat.	5			1		
acc.	7	6	3	—	—	1
abl.	1	4	2	—		

Ut penitus cognoscamus, qua ratione Capella pronomina demonstrativa in lib. I et II usurpaverit, hunc indicem acriter respiciamus:

							Summa omnium formarum
hic	subst. adhib.	54	in prosa oratione	81	num. sing.	52	89
	adiect. adhib.	35	in carminibus	8	num. plur.	37	
is	subst. adhib.	105	in prosa oratione	110	num. sing.	98	112
	adiect. adhib.	7	in carminibus	2	num. plur.	14	
iste	subst. adhib.	4	in prosa oratione	4	num. sing.	2	6
	adiect. adhib.	2	in carminibus	2	num. plur.	4	
idem	subst. adhib.	16	in prosa oratione	34	num. sing.	30	35
	adiect. adhib.	19	in carminibus	1	num. plur.	5	
ipse	subst. adhib.	19	in prosa oratione	73	num. sing.	72	76
	adiect. adhib.	57	in carminibus	3	num. plur.	4	
ille	subst. adhib.	44	in prosa oratione	64	num. sing.	61	70
	adiect. adhib.	26	in carminibus	6	num. plur.	9	

[189]) G. Wolterstorff, Glotta VIII (1917), 225. Schmalz-Hofmann, pag. 481.

Ex quo evidenter apparet Martianum Capellam excepto pronomine *iste* omnia demonstrativa saepius adhibuisse; in carminibus *hic* et *ille* non raro exstant; more substantivorum *is* saepissime usurpatur; speciem adiectivam plerisque locis pronomen *ipse* praebet.

IV. De pronomine relativo:

Pronomen relativum, quod et in sermone pedestri et in versibus pari portione adhibitum legitur[190]), in Martiani Capellae libris I et II 300es fere invenitur.

De pronomine relativo in sententia relativa posito:

In Martiani Capellae scriptis pronomen relativum saepissime sententiam relativam ducit, in cuius initio in sermone pedestri plerisque locis positum apparet; sed versus nonnumquam huius pronominis locum mutant.

Haud saepe pronomen demonstrativum antecedit relativum in sententia relativa positum[191]), ut his locis legimus: *iste:* 2 (4, 9). *ille:* 32 (21, 17)*. 102 (43, 10). 102 (43, 15). 150 (64, 16). *hic:* 135 (59, 5). *idem:* 88 (37, 14 sq.). 143 (62, 9). 197 (75, 17). *is:* 40 (25, 9). 80 (35, 21). 126 (55, 11 sq.)*. 128 (57, 3). 158 (67, 3).

Antecedunt relativum inter alia etiam: *tu:* 1 (3, 5)*. 122 (52, 8)*. *quispiam:* 8 (9, 4 sq.). *quisquam:* 37 (23, 13 sq.). *neque . . . ullus:* 15 (13, 16). *alius:* 17 (14, 11 sq.). 89 (38, 4). 95 (41, 2). 95 (41, 3). *totus:* 22 (16, 15sq.)*.

Sed plerisque Capellae locis, ut supra dixi, pronomen correlativum deest.

Pronomen relativum sententiam relativam ducens si praepositioni coniungitur, in libris I et II semper post hanc invenitur[192]): ut in 19 (15, 8). 66 (31, 2). 109 (46, 9). 147 (63, 5). 210 (78, 4)[193]) al.

Relativorum ope sententias inter se componendi rationem, quam in Ciceronis scriptis praecipue reperimus, Martianus Capella non saepe adhibebat, cum, ut inter alios Apuleius in libro, qui *Metamorphoses* inscribitur, solebat[194]), parataxin omnino praeferret. Quo sermonis usu commotus auctor nonnullis locis pronomen relativum repetivisse aut sententiae relativae relativo ductae alteram talem sententiam copulavisse mihi videtur.

[190]) exstat in carminibus 60 fere locis.
[191]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 707.
[192]) sed *qua sine:* 327 (150, 18)*.
[193]) *cum quo* raro invenitur, nam apud alios plerumque *quocum* legitur.
[194]) Bernhard, Apuleius, pag. 54.

De adnexione relativa:

Adnexionem relativam imprimis apud classicos florentem posteriores exceptis historicis atque auctoribus priscorum sermonem sequentibus[195]) rarius adhibebant. Quo relativi usu Martianus Capella saepius utebatur; sed desunt paene in eius scriptis voces eleganti sermoni propriae atque apud multos alios usitatissimae, ut *quare, quapropter, quod, id quod, quo facto, quibus rebus cognitis* cet.

Auctor noster particulam *quidem*[196]), de qua nonnullis locis minore vi adhibita postea accuratius dicam, et in enuntiato relativo et in relativa adnexione pronomini relativo saepius postponere solet, cuius in adnexione relativa usus hos locos affero: *quod quidem exponente Cyllenio:* 12 (11, 9 sq.). *quae quidem sphaera:* 68 (32, 14). *qui quidem:* 80 (35, 20 sq.). *quae quidem omnia:* 141 (61, 18). *qui quidem omnes:* 154 (65, 20). *quae quidem licet:* 85 (37, 1 sq.). *quae quidem ... postquam:* 132 (58, 8).

Saepius pronomen relativum etiam coniunctionem hypotaxin ducentem antecedit, ut:

qu. cum: 39 (24, 16). 112 (47, 7). 114 (47, 21 sq.). 131 (57, 17). 134 (58, 19). 140 (61, 3).

qu. licet: 20 (15, 14). 170 (70, 10).
qu. postquam: 30 (20, 16).
qu. quod: 72 (33, 18).
qu. si: 162 (68, 8).
qu. simul: 209 (78, 1).
qu. ubi: 23 (17, 2).
qu. mox ut: 73 (33, 21).

Praeterea et simplicem relativi adnexionem plerumque in sermone pedestri adhibitam, ut in 75 (34, 19). 85 (36, 20). 103 (43, 19). 108 (45, 14). 127 (56, 28). 132 (58, 2). 159 (67, 14). 171 (71, 1). 180 (72, 10). 183 (73, 2). 184 (73, 7). 215 (79, 3). 218 (79, 14) legimus, sed semel tantum in versu positam[197]): 92 (39, 11)* invenimus.

Si pronomen adnexionis relativae praepositioni coniungitur, plerumque post illam legitur: ut *in quam sententiam:* 5 (6, 8). *in quarum prima:* 45 (27, 9). *ex quo:* 102 (43, 13). 108 (46, 5). *in quam rem:* 143 (62, 6). *inter quos:* 172 (71, 3).

At rarissime pronomen relativum ante praepositionem exstat: *quem iuxta:* 77 (35, 13). *quos inter:* 85 (36, 17).

---

[195]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 717. Bernhard, Apuleius, pag. 54 sq.
[196]) Schmalz-Hofmann, pag. 664 sq. W. Großmann, De particula *quidem*. Diss. Königsberg 1880. A. Ludewig, Quomodo ... particula *quidem* usi sint. Prag. philol. Stud. III (1891); cf. et ALL. VII (1892), 606 sq.
[197]) Adnexio relativa in versibus adhibita omnino raro invenitur.

D e c e t e r i s r e l a t i v i s :

q u i c u m q u e semel tantum invenitur: 24 (18, 1)*.

Pronomen *q u i s q u i s,* quod 19 locis occurrit, nihil nisi neutrum singularis *quicquid* plerumque substantivorum more scriptum praebet.

V. De pronomine interrogativo:

Pronomen interrogativum substantive usurpatum plerisque locis formis *quis* et *quid* exstat[198]).

quid?: 100 (42, 21) pro enuntiato adhibetur.

Forma *quis* adiective adhibita substantivo coniungitur hoc loco: *quis . . . radius:* 118 (50, 9)*.

VI. De pronominibus indefinitis.

a) De indefinitis:

a l i q u i s in Martiani Capellae libris I et II semel tantum apparet: *nec aliquid dulcius:* 3 (5, 9). Aliis omnibus locis auctor optimas leges secutus praefixum *ali-* omisit:

post *cum: cum quid:* 3 (5, 12). *cum quis hominum:* 152 (65, 14 sq.),

post *ne: nequid . . . morticinum:* 115 (48, 17),

post *si: siquid pulchritudinis ornatusque:* 23 (17, 9 sq.). In versu 21 (16, 4)* lectionem codice M[1] traditam cum Koppio praefero: *si quid.*

q u i s q u a m in libris primo atque altero semper substantivorum more usurpatum ter in sententiis coniunctione *nec* ductis invenitur: 8 (9, 7). 40 (25, 14). 91 (38, 18)*, semel exstat in interrogatione rhetorica, quae negationem exspectat: *an vero quisquam est, qui . . .?:* 37 (23, 13 sq.)[199]).

Etiam **u l l u s,** quod bis adiective usurpatur: 7 (8, 13). 40 (25, 13), sed semel tantum velut substantivum adhibetur: 15 (13, 16), non nisi in sententiis negativis invenitur[199]).

q u i s p i a m[200]): *nec facile quaepiam . . ., quae . . .:* 8 (9, 4 sq.).

Pronomen indefinitum **q u i d a m** e sero plebeio sermone disparuit[201]), sed a Martiano Capella supra modum adhibitum in libris I et II 62[es] invenitur, quo usu iterum auctorem doctissime scripsisse cognoscimus. Quod pronomen non semper maiore vi a Capella usurpatur,

[198]) In versu 123 (53, 7)* coniecturam Eyssenhardti secutus lego: *quod habent . . .*

[199]) Schmalz-Hofmann, pag. 483.

[200]) pronomen saepius apud priscos usurpatum; cf. J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax II (1924), 117.

[201]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 484.

quin etiam plerisque locis omitti potest, nisi velut *quisquam* aut *aliquis* positum vis intellegere[202]).

Ex locis infra allatis penitus cognoscas, qua ratione auctor noster pronomen *quidam* intra enuntiatum adhibuerit:

quidam — substantivum — adiectivum:

quibusdam rivulis intermixtis: 14 (12, 9 sq.); cf. et 66 (30, 15 sq.). 144 (62, 12).

quidam — adiectivum — substantivum:

quaedam interior suavitas: 75 (34, 17); cf. et 87 (37, 5 sq.). 90 (38, 9). 96 (41, 6). 117 (49, 6). 131 (57, 15). 137 (59, 18). 140 (60, 22). 165 (68, 18 sq.). 176 (71, 22). 204 (77, 6). 205 (77, 7).

substantivum — *quidam* — adiectivum:

amnes quosdam ... defluentes: 14 (11, 20 sq.); cf. et 141 (61, 14). 178 (72, 3 sq.).

adiectivum — *quidam* — substantivum:

virili quadam amplitudine: 5 (6, 12 sq.); cf. et 11 (10, 24 sq.). 37 (24, 1 sq.). 37 (24, 5). 39 (24, 15 sq.). 67 (31, 5 sq.). 70 (33, 8). 73 (33, 22). 89 (38, 1). 100 (42, 20). 127 (56, 26 sq.). 170 (70, 9 sq.). 213 (78, 15 sq.).

substantivum — adiectivum — *quidam:*

exta ... admonentia quaedam: 151 (65, 3 sq.).

quidam — substantivum:

quaedam femina: 64 (30, 3); cf. et 89 (38, 2 sq.). 131 (57, 18 sq.). 207 (77, 13).

substantivum — *quidam:*

imago quaedam: 68 (32, 14); cf. et 172 (71, 6 sq.). 203 (76, 24).

Aliis variis modis nominibus coniungitur *quidam* etiam in:

quodam caelicolarum complexu: 3 (5, 3 sq.).

de quodam purgatioris vibratiorisque luminis loco: 39 (24, 12 sq.).
cantandi quaedam opera: 138 (60, 13).
fons quidam lucis aetheriae: 184 (73, 5).
quidam roboris inauditi: 84 (36, 14).
globosum quoddam tenerumque corpus: 169 (70, 4 sq.).
cuiusdam melodiae harmonicis tinnitibus: 27 (19, 12 sq.).
quidam sacra nigredine colorati: 137 (59, 15 sq.).
Syri cuiusdam dogmate: 142 (62, 1).
quaedam decens ac pudicissima puellarum: 174 (71, 15).

In libris I et II hoc pronomen 16 variis rationibus in enuntiato positum inveni, quo iterum auctorem sermonem quam maxime variasse cognoscitur.

---

[202]) *quidam* in sera Latinitate saepius velut *quisquam* aut *aliquis* adhibetur; cf. M. Petschenig, ALL. VI (1889), 268. Schmalz-Hofmann, p. 484.

Pronomen *quidam,* quod non nisi in prosa oratione apparet, excepto loco 84 (36, 14): *quidam roboris inauditi* semper adiectivorum more adhibetur.

nonnullus a Martiano Capella plerumque substantive usurpatur, ut in 11 (10, 20). 44 (27, 6). 76 (35, 8). 88 (37, 10). Sed stilum variat auctor et vocabulis *crebri:* 5 (6, 11). 66 (30, 18). 88 (37, 15). 200 (76, 12)[203]) et *quamplures*[204]), quae simili significatione atque *nonnulli* adhibita valent ‚eine beträchtliche Anzahl von...'

b) De vocibus, quae significant jeder, alle:

quisque, quod pronomen in Martiani Capellae scriptis more usitatissimo encliticam speciem praebet[205]), tamen non ut apud alios saepius usurpatum post ordinalia, post *suus* aut *quotus,* post superlativa[206]) apparet, sed variis modis adhibetur: *singulas quasque:* 15 (13, 3 sq.). *singuli quique:* 152 (65, 8). *futura...quaeque:* 31 (21, 5 sq.)*. *circulis quibusque metatis:* 27 (19, 15 sq.). *appulsu cuiusque luminis:* 67 (31, 15 sq.).

Pronominis *quisque* formae plurales, quae in Capellae libris I et II numeri singularis formas exsuperant, apud priscos raro inveniuntur, saepius inde a Livio exstant, saepissime apparent apud Plin. nat. et posteriores crebrius velut *singuli* aut *omnes* adhibitae.

unusquisque in priscorum litteris rarissimum exstat, sed saepius inde a Varrone[207]) legitur, unde fortasse hausit Martianus Capella: *unusquisque:* 152 (65, 13). *unaquaeque illarum:* 138 (60, 4). *unicuique deorum:* 152 (65, 7).

uterque, quod indefinitum in libris primo atque altero 12es scriptum inveni[208]), ab auctore plebeium sermonem haud sequente[209]) semper singulare adhibitum est; usurpatur et substantive et adiective. Cum verba hoc pronomine ducta plerumque singularis formas praebeant, ut in 14 (12, 19 sq.). 25 (18, 12). 40 (26, 2). 79 (35, 17 sq.). 104 (44, 4 sq.). 145 (62, 16 sq.) leguntur, ad libros I et II spectantes Böttgeri sententiam sequi non possumus, qui inter alia dicat[210]): „Nach ‚uterque' setzt Martian das Zeitwort im Plural"; nam uno tantum

[203]) locis allatis adiective adhibitum.

[204]) v. pag. 37; cf. et voces *nonnulli* ac *quam plures:* 88 (37, 10 sq.) in eodem enuntiato compositas.

[205]) cf. Wackernagel, IF. I, 415 sq.

[206]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 485 sq. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax II (1924), 118 sq.

[207]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 486. Wackernagel, IF. I, 416.

[208]) omisi *uterque* male traditum in 68 (32, 6).

[209]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 486.

[210]) C. Böttger, Neue Jahrbücher für Philologie und Pädagogik (Jahns Archiv). Suppl. XIII (1847), 621.

loco *uterque* verbi pluralem iuxta se tenet: ...*uterque consurgunt:* 69 (33, 5).

Ut *uterque* semel in versu adhibetur etiam **alteruter:** 22 (16, 20)*, quem usum seriorum sermoni proprium fuisse apparet[211]). Dubitat Thesaurus ling. Lat. I, 1760, 56 utrum *alterutrum* hoc loco positum significet *mutuo* an *utrumque;* sed ego quidem supra sententiam meam produxi.

Adiectivum **totus** in 25 locis scriptum deprehendi, quod plerumque (18es) sua substantiva antecedens 22es more adiectivorum usurpatur; semel tantum forma pluralis legitur, quae velut *omnes* imposita est: 213 (78, 18). Martianus Capella adiectivum *totus* plerumque significatione classica ‚ganz', ‚gänzlich' adhibet; auctor igitur seriorum singularis usum *totus* = *omnis* aut *quivis* inde ab Apuleio ortum[212]) atque imprimis apud poetas usitatum raro sequitur: ut

totius populi = ‚eines jeden Volkes': 11 (10, 18).

totius copulae = ‚jeder Fessel (= Ehe)': 40 (25, 12).

Quibus praedictis Martianum Capellam haud morem posteriorum secutum pronomen adiectivum *totus* optima significatione omnino usurpavisse apparet.

Sed favet auctor, ut copiam sermonis variet, pluralis formae *cuncti*[213]) pro *omnes* adhibitae, cuius pleraque exempla affero: *cunctorum affectiones:* 5 (6, 6 sq.). *cunctis ... virginibus:* 6 (6, 21 sq.). *cunctis seminibus:* 14 (12, 25). *cuncti:* 52 (28, 19). *cunctos:* 90 (38, 7). *haec cuncta:* 112 (47, 12). *cunctis:* 128 (57, 3). *superis cunctis:* 217 (79, 10); v. et 7 (8, 7). 16 (13, 19). 61 (29, 9). 63 (30, 1). 68 (32, 12). 94 (40, 21). 120 (51, 14)*. 131 (57, 16). 218 (79, 18); adiuvatur etiam his formis tali significatione usurpatis:

omnes: 7 (8, 7)[214]). 14 (12, 4). 62 (29, 14). 82 (36, 8). 117 (49, 14). 167 (69, 11) al.

universi: 37 (23, 16). 44 (27, 3). 133 (58, 11).

c) De negationibus:

Negationum adiective ac substantive adhibitarum tantum *nullus* et *nihil* inveni — desunt igitur inter alias *nemo* et *neuter* —, quibus auctor omnino optimis legibus usus est.

nullus, quae negatio 6 locis occurrit, semel tantum substantivum legitur: 128 (57, 3); exstat non nisi formis singularis. *nullum*

211) v. Mart. Cap. ed. Kopp (Frankfurt 1836), 61.

212) Schmalz-Hofmann, pag. 488. Bernhard, Apuleius, pag. 115.

213) Thes. l. L. IV, 1398 sq.

214) cf. voces *omnes* et *cunctos* propter sermonis varietatem in eodem enuntiato compositas.

velut *nihil* positum, cuius usus apud Augusteae aetatis poetas surrexit atque in posterioris pedestris sermonis scriptis floruit[215]), apud Martianum Capellam nullo loco repperi.

nihil 9es ponitur, semel metro cogente **nil**: 118 (50, 3)*.

d) De adiectivis, quae pronominibus accedunt:

talis et **qualis** in Martiani Capellae libris I et II nusquam sibi respondentes componuntur. Pronomen *talis* exceptis duobus locis: *tali dei temperamento:* 19 (15, 3). *argumentis talibus:* 174 (71, 18) semper substantivorum more adhibitum genus neutrum pluralis perhibet; spectat et ad praedicta et ad sequentia, ut in 20 (15, 11). 111 (47, 4). 138 (60, 1). 149 (63, 9). 184 (73, 8) apparet.

qualis bis tantum, in carminibus positum, exstat: 22 (16, 12)*. 92 (39, 19)*.

tantus ac **quantus** saepius quidem apud Martianum Capellam inveniuntur, sed uno tantum loco correlatione componuntur: 108 (46, 2 sq.). Formae plurales paucis locis leguntur, quo usu auctorem seriorum morem tales formas velut *tot, quot* adhibentium[216]) secutum non esse elucet[217]).

Indefiniti **aliquantus** nihil nisi singularis formas (quater) usurpavit Capella, quarum tres ablativum mensurae perhibent: 23 (17, 4). 40 (25, 6). 133 (58, 12); sed *aliquantum* apparet in 40 (25, 8).

Pronomen **alter**, cuius usus apud posteriores gradatim increbruit[218]), in Martiani Capellae libris I et II multo rarius quam **alius** reperitur:

Pronomen	exstat locis
alius	40
alter	11

Praedicta pronomina pedestris sermonis enumerationes saepius adiuvant, sed desunt in carminibus, quibus auctor enumerationes inserere noluit. Indice infra allato cognosces, quo modo a Capella *alius* et *alter* inter se aut aliis vocabulis correspondentibus componantur ac sermonem variis rationibus adhibita varient:

unus — alius: 66 (30, 20). *una — alia:* 85 (36, 17 sq.). *alter — alius:* 14 (12, 21 sq.). 78 (35, 15 sq.). *alius — alius:* 83 (36, 13 sq.). *alias — alias:* 14 (12, 13 sq.). *aliis — aliis:* 138 (60, 7 sq.). *sibi — alio:* 109

[215]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 489.

[216]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 490 sq. J. Svennung, Orosiana, pag. 75.

[217]) nam etiam *tot* et *quot* nonnullis locis reperimus: 36 (23, 10). 200 (76, 10). 136 (59, 11); *totidem:* 188 (74, 4: bis)*.

[218]) Schmalz-Hofmann, pag. 491.

(46, 9 sq.). *qui — alius:* 80 (35, 20 sq.). *alius — alteri:* 15 (13, 6). *aliae — alterae:* 138 (60, 2). *primus — alter:* 82 (36, 7 sq.). *unus — alter:* 80 (35, 18 sq.). *ille — alter:* 15 (13, 7). *primus — alius — tertius:* 14 (11, 24 sq.). *una — alia — tertia:* 16 (14, 4 sq.). 132 (58, 2 sq.). *alia — altera — tertia:* 75 (34, 12 sq.). *una — altera — tertia:* 75 (34, 15). *alii — nonnulli — quam plures:* 88 (37, 10 sq.). *aliae — aliae — quamplures — nonnullis:* 11 (10, 18 sq.). *alia — alii — multi — rari:* 136 (59, 12 sq.).

C. De numeralibus.

I. De cardinalibus:

unus cardinale, quod in librorum I et II 14 locis scriptum repperi, 6es, ut locis supra allatis apparet, cum *alius* aut *alter* componitur (ut *unus — alius [alter] — [tertius]*); enumerationi etiam *unus* inseritur his locis: *unum, secundum triademque:* 107 (45, 2). *quarum una:* 127 (56, 28) (sequuntur: *huius germana, verum tertia, quae supererat*).

Primum numerum significat *uno* (seq. *duobus collato*): 107 (45, 9).

Maiore vi secernente adhibentur reliquae formae[219]), quae valent ‚allein‘ aut ‚einzig‘: *nec aliquid dulcius ... una coniuge* = „... als eine (einzige) Gattin‘: 3 (5, 9 sq.). ... *unum placuit corrogari* = „... nur ein einziger‘: 47 (28, 2). *duorum una quidem germanaque facies:* 83 (36, 12 sq.). *quam decet unam Mercuriali foedere iungi* = „... die allein‘: 125 (54, 28 sq.)*. *in unam speciem:* 138 (60, 11 sq.).

Cardinale *unus* adiectivorum more usurpatum, quem usum raro invenimus, plerumque iuxta nomen suum exstat; *unus* superlativo coniunctum non reperitur[220]).

Singula cardinalia maiorem numerum significantia Martianus Capella variis modis copulat:

mille ducenti decem et *octo numeri:* 102 (43, 19).
per septingentos viginti quattuor numeros: 104 (44, 2 sq.).
centum viginti sex milia stadiorum: 169 (69, 20 sq.).
octo et *sexcentis numeris:* 193 (74, 16)*.
octoginta quattuor liturgos: 200 (76, 11).

II. De ordinalibus:

Saepissime ordinalis *primus* formae occurrunt, quae et adiectiva et adverbia apparent. *primum* ac *primo* adverbia adhibita apud auctorem inter se non differunt[221]), quorum utrumque ad ordinem

[219]) deest igitur usus ad articulum accedens; cf. Schmalz-Hofmann, p. 482.
[220]) cf. Blase, Comm. Wölffl. 87 sq.
[221]) cf. W. Schreiber, De Lucili syntaxi, pag. 34.

spectat (Germanice ,zuerst' convertendum); praeterea coniunctiones omnino has formas sequuntur:

primo: 15 (13, 2) ... *tunc.*
: 34 (22, 7) ... *dehinc.*
: 99 (42, 14) ... *deinde.*
: 101 (43, 4) ... *mox.*
primum: 66 (30, 14) ... *dehinc.*

III. De distributivis:

Cum pluralibus tantum Martianus Capella distributiva nullo loco coniunxit. Singularis formae, quae vi plurali adhibitae in poetarum litteris florent[222]), apud auctorem nostrum in his duobus versibus exstant: *Gratia trina = tres Gratiae:* 1 (4, 2)*[223]). *littera trina:* 193 (74, 16)*.

Distributivi significatione propria (,je ...') usurpati exemplum praebet locus 44 (27, 6): *singulas vel binas domos* [cf. etiam 15 (13, 3). 16 (14, 7). 44 (27, 5). 68 (32, 15). 152 (65, 8). 152 (65, 10). 218 (79, 17)].

Memorabilis usus in 107 (45, 2) nobis occurrit, ubi casus nominativus *bis binum* significat ,Vierzahl' *(tetras).*

Ordinalium sensu scripta haec distributiva legimus: (sc. *ex*) *bis septena (= decima quarta) ... acciti:* 58 (29, 6 sq.). *ter quino (= quinto decimo) ex limite:* 59 (29, 7).

IV. De multiplicativis:

Numeralia multiplicativa, quorum *bis* et *ter* tantum inveniuntur, in auctoris libris I et II semper cum distributivis copulantur:

bis seni: 42 (26, 11). *bis senis:* 188 (74, 3)*.
bis binum: 107 (45, 2). *bis binas:* 170 (70, 12).
Confer et ea, quae de distributivis attuli.

D. De adverbiis.

Ex adverbiorum numero, quae apud multos auctores et adverbiorum et praepositionum vim recipiunt, haec a Martiano Capella pro adverbiis dicuntur (De praepositionum usu confer indicem in pagina 55 notatum):

ante: tamquam nihil habuisset ante discolorum: 67 (32, 5). *merito tibi subditur orbis rationibus ante repertus:* 123 (52, 23 sq.)*.

antea in libris I et II non legitur.

coram tantum in Vergili versu (Aen. I, 520) apparet: 30 (20, 17).

---

222) Schmalz-Hofmann, pag. 493.
223) cf. Mart. Cap. ed. Kopp. (Frankf. 1836), 6.

p a l a m semel exstat in versu 91 (39, 3)* scriptum.

s u p r a = ‚vorher', ‚oben[224])': *ut nihil amissum ex supra dictarum duceret dignitate:* 23 (16, 22 sq.).

s u b t e r quaedam praenitens virga (sc. *erat):* 176 (71, 22).

Confer etiam has formas:

f o r a s[225]) accusativum directionis perhibet: *ni haec ... foras diffuderis:* 135 (59, 5 sq.).

i n t u s : quamvis intus ... intrarent: 69 (33, 3 sq.).

p r o c u l = ‚von Ferne': *talia conserentes ut procul Pythius adventare conspexit:* 20 (15, 11 sq.).

Forma *u n a,* quae apud alios saepius praepositioni *cum* coniungitur[226]) aut vi praepositionis adhibita casum ablativum ducit, apud Martianum Capellam (lib. I et II) hoc uno loco adverbii vicem obtinet (= ‚zusammen', ‚zugleich'): *una igitur vestrum Iovem ... convenite:* 25 (18, 21).

Notandum duxi plerasque voces praedictas apud priscos omnino pro adverbiis acceptas etiam in Capellae scriptis non nisi illo usu usurpari, quo auctorem fortasse veterum morem secutum esse intellegi potest.

usque bis praepositionis vim praebet (v. pag. 58), sed omnibus reliquis locis pro adverbio positum praepositiones *in* (quater) et *ad* (semel) auget; praeterea semel adverbio *eo* copulatur (*eo usque* = ‚bis zu dem Grade'), quem usum ad formas quidem spectantes apud Ciceronem invenimus, sed tali sensu adhibitum in Taciti libris comprehendimus: *universa dissultant eo usque, ut:* 133 (58, 11 sq.).

Raro usu adhibitum exstat adverbium *p r i m e :* 19 (15, 8), quod loco allato velut *statim* aut *quam primum* positum esse intellegi vult[227]). Adnoto etiam adverbii usum pro adiectivo *interrita*[228]): *dum sola cunctos i n t e r r i t e transmearet:* 16 (13, 19 sq.).

Haec denique s u f f i x i *- t e r* a d v e r b i a plerumque apud seros usitata produco, quorum nonnulla rarissime reperiuntur:

consequenter: 58 (29, 6). 143 (62, 6). *indecenter:* 67 (31, 4). *incunctanter:* 105 (44, 7). 140 (61, 6). *puellariter:* 88 (37, 14). *undanter:* 138 (60, 1)[229]).

De adverbiis in *- i m* exeuntibus, quae in auctoris libris saepius apparent, postea disseram.

---

[224]) cf. significationem formae *superius:* 50 (28, 15). 52 (28, 19).

[225]) F. Skutsch, Kl. Schr. p. 319.

[226]) quo usu a Martiano Capella non usurpatur.

[227]) Eyssenhardt praeter necessitatem *primis* coniecit.

[228]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 467 sq.; at adiectivum *cassus:* 7 (8, 21) pro adverbio adhibetur.

[229]) cf. Apul. Met. II, 16.

E. De praepositionum usu.

Hoc indice omnes praepositiones penitus cognosces, quae in Martiani Capellae libris I et II casum accusativum vel ablativum ducant:

Recipit	Praepositio	exstat locis	in prosa oratione	in carminibus
casum accusativum	*ad*	30	27	3
	adversum	3	3	—
	ante	9	7	2
	apud	4	4	—
	circa	5	5	—
	circum	1	1	—
	in	78	71	7
	inter	17	17	—
	intra	9	9	—
	iuxta	2	2	—
	per	25	19	6
	post	17	16	1
	praeter	2	2	—
	propter	4	4	—
	secundum	2	2	—
	trans	1	1	—
	ultra	1	1	—
	usque	2	2	—
casum ablativum	*a*	16	16	—
	ab	18	17	1
	absque	3	3	—
	cum (*cum mecum* et simil.)	33	31	2
	de	17	16	1
	e	4	4	—
	ex	70	69	1
	in	61	59	2
	prae	1	1	—
	pro	14	12	2
	sine	7	6	1
	sub	14	10	4
	super	4	4	—

Consuetudo postpositionum in Martiani Capellae libris I et II rarissime nobis occurrit; nam praepositiones plerumque ante nomen et attributum positae exstant. Veram anastrophen duobus tantum locis inveni[230]: *quos inter:* 85 (36, 17). *quem iuxta:* 77 (35, 13).

Paulo saepius sed plerumque in carminibus praepositio inter attributum atque substantivum interponitur, quo usu iam apud priscos orto imprimis poetae inde a Lucretio saepissime utebantur. Praepositionum tali ratione adhibitarum exempla affero e carminibus: *pignoris pro foedere:* 31 (20, 23)*. *ipsa ... cum coniuge:* 33 (22, 2)*. *auratis ... in armis:* 98 (42, 6)*. *matutina ... in pascua:* 116 (49, 3)*. *lucidam usque ad aethram:* 126 (56, 15)*. *sacro sub nomine:* 193 (74, 19)*,

e sermone pedestri: *candida cum sorore:* 73 (33, 20). *magno cum turgore:* 135 (59, 4). *ter quino ex limite:* 59 (29, 7).

Martianus Capella praepositionem antecedentem in prosa oratione adhibitam nusquam a nomine aut attributo seiungit[231], quo more diligentissime optimas sermonis leges sequitur.

Etiam in carminibus unum tantum locum repperi, cuius praepositio voce enclitica a pronomine secluditur: *perque hunc:* 92 (39, 22)*.

I. De praepositionibus accusativum recipientibus:

ad saepissime verba movendi comitatur, ut directionem demonstret; at raro iuxta praepositionis *ad-* composita exstat: ut *ad ... libros ... adcurrit:* 89 (37, 18 sq.)[232]. *ad eam accurrens:* 114 (48, 1).

Adverbio *usque* augetur praepositio *ad*[233] semel in 126 (56, 15)*: *lucidam usque ad aethram.*

Virorum doctorum sermonem secutus auctor duos numeros, ut rationem perhibeat, praepositione *ad* commisisse videtur[234]: *tres ad quattuor:* 107 (45, 3 sq.). *tres ad duo:* 107 (45, 6). *novem ... ad octo:* 108 (46, 1 sq.).

ad (inter *distinctae* et *tonum ... paginae*): 138 (60, 7) significat ‚in Bezug', ‚hinsichtlich', quem usum ad optima exempla spectare constat.

Praepositionem *ad* velut *apud* adhibitam bis tantum inveni: *ad ipsius dei dexteram sita* (sc. *urna*): 17 (14, 17). *cantare ad thalamos* = ‚... vor dem Hochzeitsgemach': 1 (3, 16)*[235].

---

[230]) fortasse vetustissimorum usu adhibita; cf. Schmalz-Hofmann, p. 495. vide et ea, quae de pronomine relativo attuli.

[231]) cf. compositionem vocabulorum: *propter praedictorum thalamum iuvenum:* 97 (41, 9).

[232]) *adcurrit* tantum *β*, *currit* aut simil. rell.

[233]) Ph. Thielmann, ALL. VII (1892), 103 sq.

[234]) cf. inter al. Varr. Ling. Lat. X, 45. Quint. V, 11, 34.

[235]) De quo loco confer: R. O. Schmidt, De Hymenaeo et Talasio. Kil. 1886. Jolles, RE. IX₁, 126 sq.

adversum ab auctore semper contraria vi usurpatur[236]): *adversum illa:* 110 (46, 15 sq.). *adversum ignes superos:* 110 (46, 20). *adversum vim superam:* 141 (61, 16).

Forma *adversus* in Martiani Capellae libris I et II non reperitur[237]).

Praepositionis **ante** rarior usus apud auctorem valet, qui ad locum relatus est: ut *ante currum:* 26 (19, 2). *ante fores regias:* 63 (29, 16). *ante fores:* 117 (49, 6) al.; sed spectat *ante* ad tempus in *ante praescientias:* 32 (21, 12)*. *ante nostrum poculum:* 134 (59, 1 sq.).

apud omnino saepius in sermone plebeio quam in scriptis apparet; quocirca apud Martianum Capellam raro invenitur: *apud hanc:* 23 (17, 9). *apud Aegyptios:* 158 (67, 5). *apud Atticos:* 158 (67, 7). *apud Thebas:* 158 (67, 5)[238]).

Praepositionem **circa** Martianus Capella formae vetustiori **circum** iam in saec. I p. Chr. lingua exstinctae[239]) praetulit: *circum:* 40 (25, 7).

circa ab auctore plerumque significatione ‚um-herum' adhibetur: 7 (8, 7). 7 (8, 15). 47 (28, 4). 165 (68, 16); tantum in loco 127 (56, 26) ad serum usum (= *de* = ‚in betreff') accedit.

inter a Martiano Capella plerumque de loco usurpatur[240]); ad tempus nihil nisi *inter haec mira spectacula:* 11 (10, 22) pertinere mihi videtur. Sed saepius auctor hanc praepositionem cum pronominibus substantivorum more usurpatis coniungit, quo usu adhibita nonnullis locis pro genetivo partitivo aut praepositione *ex* (*in*) ablativo copulata posita est: *inter alios:* 42 (26, 10). 95 (41, 1 sq.). *inter quos:* 82 (36, 7). 85 (36, 17). 172 (71, 3). *inter eos:* 109 (46, 8).

intra non nisi locali significatione ‚innerhalb', ‚in' sermoni auctoris inseritur; sed nullo librorum I et II loco propriis urbium aut terrarum nominibus copulatur[241]). Nusquam etiam *intra* ad tempus spectat.

iuxta ut apud classicos semper valet ‚zunächst', ‚neben', ‚nahe bei': *quem iuxta:* 77 (35, 13). *iuxta ipsum ... murum:* 202 (76, 22); sed sero usu ‚gemäß' (= *secundum*) nullo loco adhibetur.

Variis modis praepositio **per** ab auctore usurpatur:

1. spectans ad locum (= ‚hindurch', ‚in-umher')[242]): 10 (10, 2). 15 (13, 4 sq.). 22 (16, 13)*. 44 (27, 3 sq.). 96 (41, 8). 123 (53, 1)* al.

---

[236]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 518.

[237]) *adversum,* quae forma in priscorum scriptis saepius exstat, apud Apul. 11 locis (*-us* 7 locis) legitur atque aetate recentiore denuo increbrescere coepit; cf. Thes. l. L. I, 850, 59.

[238]) G. Funaioli, ALL. XIII (1904), 346 sq.

[239]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 515.

[240]) nam interroganti ‚ubi' respondet.

[241]) v. G. Funaioli, ALL. XIII (1904), 343 sq.

[242]) Praepositio *per* nominibus urbium aut terrarum propriis coniuncta non invenitur.

2. de tempore adhibita: 126 (56, 20)*.

3. instrumentum aut modum signans[243]): 92 (39, 22)*. 126 (56,17)*. 126 (56, 19)*. 131 (57, 16). 151 (65, 2). 11 (11, 5). 102 (43, 11). 103 (43, 20:bis). 104 (44, 2). 108 (46, 1) al.

Vi limitationis usitatur more posteriorum *per omnia*[244]): *per omnia trepidantem:* 130 (57, 11). *per omnia verecunda:* 216 (79, 6 sq.).

post a Martiano Capella plerumque ad tempus spectans adhibetur, sed accedit huius praepositionis usus nonnullis locis ad significationem aut ordinem aut locum praebentem, imprimis cum persecuta enumerationem primum enuntiati locum obtinet, ut inter alia haec exempla demonstrant: 43 (27, 1). 73 (33, 20). 78 (35, 14). 83 (36, 12). 90 (38, 6)[245]).

Maiore vi ad ordinem spectat *post* his locis: 45 (27, 9). 188 (74, 2)*.

Mero sensu locali impositam hanc praepositionem semel tantum inveni: *post Sibyllam:* 10 (9, 22).

praeter: *praeter ceteros:* 14 (12, 12). *praeter domum Iovis:* 46 (27, 12).

propter in Martiani Capellae libris I et II ubique causam perhibet[246]): 40 (25, 10). 80 (35, 22). 97 (41, 9). 214 (78, 26).

secundum = ‚gemäß': 203 (77, 1). 205 (77, 8).

trans = ‚jenseits': 16 (13, 21).

ultra = ‚darüber — hinaus': *sono ultra solitum dulciore:* 27 (19, 13 sq.).

Adverbium **usque** plerisque Capellae locis praepositionibus coniunctum praeterea bis ipsam praepositionis vim praebet[247]): *usque solarem circulum:* 150 (64, 18). *usque lunarem globum:* 151 (64, 23 sq.).

II. De praepositionibus cum ablativo coniunctis:

a, ab[248]): Formae *a* et *ab* in Martiani Capellae libris I ac II pari fere numero scriptae inveniuntur (v. indicem supra allatum): *a* legitur ante litteras c, d, f, i, l, m, q, s, v; *ab* ante vocales a, e, i, o et ante h exstat.

---

[243]) cf. hanc praepositionem apud numeralia positam.

[244]) inde a Livio adhib.; cf. Wölfflin, ALL. V (1888), 144.

[245]) *post* nonnullis locis allatis significatione a praepositione *praeter* non differt.

[246]) *ob* in Capellae (I et II) libris deest, quo usu auctorem priscorum sermonem secutum non esse apparet; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 504.

[247]) Wölfflin, ALL. IV (1887), 52 sq.

[248]) cf. Thes. l. L. I, 2 sq.

Cum praepositionis *a(b)* verbo composito coniunctam praepositionem *a(b)* semel tantum inveni: *ab eius congressibus aberrare:* 8 (9, 8).

Qua praepositione ostenditur, ex quo loco separatio exeat, vel ad quod intervallum quid respiciat, ut his exemplis apparet: *a medietate vero aeris usque in . . . confinia:* 160 (67, 18 sq.). *ab ipso aethere . . . usque solarem circulum demeantes:* 150 (64, 17 sq.). *ab orbe lunari interfusa medietas disparatur:* 156 (66, 8 sq.). *haec omnis aeris a luna diffusio:* 161 (68, 1 sq.).

a(b) apud passivum de persona efficiente dictum videas his locis: *a Cupidine detineri:* 7 (9, 1 sq.). *a sapientibus ferebatur:* 144 (62, 13). *ab Heraclito dictus est:* 87 (37, 7) al.

Memorabili modo praepositio adhibetur apud adiectivum *immunis:* 15 (13, 17): sed adiectivum *feriata* in hoc enuntiato positum casu ablativo ductum esse puto[249]).

Praepositionem *a(b)* de tempore usurpatam in libris primo ac altero nusquam inveni.

Minore limitationis vi posita[250]) praepositio his locis exstat: *ab omni velle capis socium:* 21 (16, 6 sq.)*. *tres fuerant a fronte gemmae:* 75 (34, 9); cf. et 144 (62, 13 sq.). *Pallade a dextra sociata:* 214 (78, 26). *a laeva:* 176 (72, 1).

Ad optima exempla respicit usus etymologicus[251]): *a iuvando Iunonem . . . nominemus:* 149 (63, 11 sq.). *Fanae, a quibus fana dicta:* 167 (69, 10). *te Heram . . . ab aeris regno . . . voco:* 149 (64, 5). *Carmentis . . . ab effuso . . . carmine memorata:* 159 (67, 12 sq.).

Praepositio **absque**[252]) velut *sine* adhibita apud posteriores priscorum morem sequentes falso usu orta[253]) et post hos in sermonem vulgarem infusa esse videtur[254]). Inde a Frontone Gellioque *absque* pronomini *te* copulatur, quem usum in Martiani Capellae libris I et II semel repperi: *sive absque te Iovis non erat formare consilium:* 39 (24, 20 sq.). Eadem significatione *(= sine)* usurpata etiam hoc loco legitur: *absque impertinentibus:* 43 (27, 2).

In linguis Romanicis *absque* tantum valet ‚außer' *(= praeter),* qua vi et apud auctorem nostrum semel apparet: *absque lauri arentis paucis admodum foliis vittisque semivulsis:* 10 (9, 21 sq.).

Quibus allatis Martianum Capellam non sine ratione exempla ad prisca spectantia imitatum esse aut plebeii sermonis moribus cessisse

[249]) ut in 35 (22, 20); cf. Thes. l. L. VI1, 518, 4 et 46.
[250]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 524.
[251]) cf. Thes. l. L. I, 25, 59.
[252]) v. J. Praun, ALL. VI (1889), 197 sq. Wölfflin, ALL. VII (1892), 476.
[253]) cf. *absque me, te, hoc esset* ap. Plaut. et Ter. saepius usurp.
[254]) Schmalz-Hofmann, pag. 531.

elucet, cum et *sine* et *praeter* praepositiones saepius adhibitae in illius libris exstent (v. praepositionum indicem supra allatum). Auctor igitur praepositionem *absque* usurpat, ut sermonem variet.

cum consociationem vel comitatum perhibet. Qua praepositione Martianus Capella saepissime utitur, ut personas inter se copulet, quos quidem plerumque non separari, sed nonnullis locis etiam coniunctione *et* coniungi posse apparet: ut *Iuppiter cum Iunone omnibusque divis:* 209 (77, 22 sq.). *Pales et Favor cum Celeritate:* 50 (28, 13). *candida cum sorore Sol auratus:* 73 (33, 20). *Vedium cum uxore:* 142 (61, 23).

Si personae et res aut res et res praepositione *cum* coniunguntur, una pars coniuncta, quae plerumque secundum locum tenet, saepius alteram partem supplet aut signat, ut haec exempla demonstrant: *arcus cum pharetra:* 85 (36, 19). *circuli lineaeque hemisphaeriaque cum trigonis et quadratis multiangulaeque formae:* 138 (60, 8 sq.). *Hammon apparuit cum cornibus arietinis:* 157 (67, 1 sq.). *cristae cum aprinis dentibus:* 197 (75, 19).

More classicorum pronominibus personalibus copulatur *cum* his modis: *mecum:* 2 (4, 19). *secum:* 9 (9, 12). 81 (36, 4). 99 (42, 13). 150 (64, 15). 181 (72, 17). *vobiscum:* 91 (39, 5)*.

Forma *una* apud auctorem praepositio *cum* nullo loco augetur.

Praepositio **de**, quae non raro a Martiano Capella usurpata iam paululum praepositiones *ex* et *ab* repellere videtur[255]), plerumque significationem ‚von (-her)' praebet: *de proximo:* 39 (24, 17). 169 (70, 4)[256]). *progenitus de:* 40 (25, 13). 210 (78, 6). *convocare de:* 47 (28, 7 sq.). *corrogare de:* 47 (28, 1 sq.). *poscere de:* 217 (79, 10). *sumere de:* 168 (69, 17 sq.).

Maiorem vim ‚von-herab' praepositio *de* his locis perhibet: *de ingenito rigore descendens:* 23 (17, 4). *de quodam ... loco allapsa:* 39 (24, 12 sq.). *ille de sede corusca descenderet:* 42 (26, 9 sq.).

Qua vi adhibita praepositio igitur ab auctore saepius verbo composito augetur.

de = ‚von-weg': *de sua societate correptam:* 7 (8, 23 sq.).

de = ‚in betreff', ‚über': 21 (16, 3)*. 23 (17, 3). 39 (25, 5). 149 (64, 8).

In enuntiato *virgam ... Virtuti de more permittit* (sc. *Mercurius):* 9 (9, 12 sq.) Grotius *demere* coniecit; sed hoc loco *de more,* quo praepositio *de* velut *secundum* vel *ex* adhibetur[257]) (*de more* = ‚nach der Sitte': cf. Verg. Aen. I, 318 et al.), utique teneamus.

ex praepositio, quae ab auctore persaepe usurpatur[258]), in eius scriptis non ut apud alios posteriores praepositioni *de* cedit. Forma *e,*

---

[255]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 525 sq.

[256]) imprimis apud Plaut. et Apul. legitur.

[257]) cf. Thes. 1. L. V_1, 77, 75.

[258]) vide haec inter alia exempla: *de* in paragraphis 47 61 (pag. 28 et 29) bis tantum exstat, sed *ex* 15[es] apparet.

qua Martianus Capella raro utitur[259]), ante litteras c, m, t exstat; *ex* apparet ante omnes vocales et litteras c, d, f, h, l, m, n, p, q, s, v.

Quam praepositionem saepissime significatione communi ,aus — heraus' adhibitam auctor plerumque verbis coniunxit, quo in usu et simplicia et verba composita pari fere numero usurpantur[260]). Sed praepositionem *e(x)* rarissime huius praepositionis composita iuxta se pati notandum est: ut *quae ex ore virgo effuderat:* 138 (60, 3).

Pro ablativo materiae apud Martianum Capellam saepius praepositionem *ex* impositam invenimus, cuius constructionis nonnulla exempla praebeo: *ex purgatioris auri splendente vena:* 7 (7, 15 sq.). *nam una ex ferro ... duriore ... videbatur:* 16 (14, 4 sq.). *calcei autem similis ex pyropo:* 77 (35, 12 sq.). *quod vel ex illa ... lana, ... et ... ex candentis byssi netibus videbatur:* 114 (48, 6 sq.). *calceos ... ex papyro textili:* 115 (48, 16). *alia ex papyro ... videbantur:* 136 (59, 12 sq.). *ex hebeno pinacem:* 174 (71, 17 sq.). Qui sermonis usus usque ad ultima linguae Latinae tempora valuit, item ut praepositio *ex* sensu partitivo usurpata[261]), quam et Martianus Capella non raro adhibuit: ut *ut nihil amissum ex supra dictarum duceret dignitate:* 23 (16, 22 sq.). *ut e tuis numeretur illa pedisequis:* 39 (25, 3 sq.). *ex quo nihil est:* 108 (46, 5). *tonum primum ex pthongis complevere caelestibus:* 169 (70, 2). *singulas ex famulitio ... Cyllenii:* 218 (79, 17).

Causam vel originem significat *ex* inter alios his locis: 3 (5, 15). 129 (57, 6): de etymologia. 159 (67, 17); notabili etiam usu adhibetur in *ex eo, quod:* 131 (57, 15). 160 (67, 20).

Morem posteriorum imprimis hanc praepositionem vi instrumentali usurpantium[262]) Martianus Capella haud raro sequitur, ut talibus exemplis apparet: *ex quo:* 19 (15, 8)[263]). *ex quo:* 109 (46, 9). *ex pavonum pennis intertextae ... pallae:* 66 (31, 1 sq.)[264]). *quae ... ex omnibus compacta fuerat elementis:* 68 (32, 8 sq.)[264]). *ex herba ... virginem coronavit:* 141 (61, 13 sq.)[264]). *ex calidis humidisque commixtionibus:* 196 (75, 10).

prae: *dilectum prae ceteris:* 143 (62, 7)[265]).

pro in Martiani Capellae libris I et II nusquam ad locum pertinet; etiam communem significationem ,für', ,zugunsten' raro praebet[266]): 31 (20, 23)*. 38 (24, 9).

---

[259]) Cum *e* forma omnibus temporibus tantum sermoni artificioso propria esset, minor illius usus apud Mart. Cap. non exspectatur.

[260]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 528.

[261]) cf. Ph. Thielmann, ALL. VIII (1893), 262.

[262]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 529.

[263]) Eyssenhardti coniectura hoc loco non necessaria esse videtur.

[264]) accedit etiam sensus partitivus.

[265]) hic usus anteferendi apparet.

[266]) cf. J. Svennung, Orosiana, pag. 35 sq.

Ad classicorum exempla spectant voces: *pro certo:* 105 (44, 6). *pro parte:* 220 (80, 9)*.

Saepissime *pro* ab auctore velut *secundum* (‚entsprechend', ‚gemäß') adhibetur[267]): 6 (6, 18). 14 (12, 19). 41 (26, 3). 43 (27, 1). 79 (35, 17). 90 (38, 7). 102 (43, 9). 138 (60, 10). 197 (75, 21).

Respice etiam *pro officiorum praemiis:* 40 (25, 19 sq.).

Praepositio **sine**[268]), quae apud Martianum Capellam plerumque in sententiis negativis apparet (cf. et ea, quae de negationibus attuli), ab auctore compluriens usurpatur: 5 (6, 15). 7 (8, 13). 8 (9, 7). 11 (11, 6). 140 (61, 10)*. 179 (72, 6). 180 (72, 9).

sub[269]) aut localem significationem praestat (‚unter'), ut in 22 (16, 12)*. 66 (31, 3). 176 (71, 23) legitur, aut de obsequio[270]) vel condicione ponitur: *sub quo:* 1 (3, 11)*. *sub hac:* 38 (24, 6). *sub amore:* 1 (3, 12)*. *sub Plutonis potestate:* 161 (68, 2). *sub praeceptis Iovialibus:* 35 (22, 20). *sub ... numine:* 73 (34, 2). *sacro sub nomine:* 193 (74, 19)*.

Respiciamus etiam hos locos: *sub conspectu*[271]): 11 (10, 19). 217 (79, 10 sq.). *sub humana effigie:* 156 (66, 12 sq.). *sub quibus:* 67 (31, 19).

Praepositionis **super** pro *de* (‚in betreff') (cf. ὑπέρ apud Graecos velut περί usurpatum)[272]) usum, quem vulgaris sermonis proprium atque imprimis apud seros usitatissimum fuisse constat, in Martiani Capellae libris I et II his locis invenimus: *super his igitur virginum thalamis:* 8 (9, 3). *super ... coactione ... conquestos:* 37 (24, 2 sq.). *super nuptiis virgo consulitur:* 40 (25, 9).

Praeterea *super* semel significatione ‚gemäß', ‚nach' adhibitum exstat: *super senatus consulto:* 40 (25, 23 sq.).

III. De praepositione **in**:

De *in* praepositione accusativo coniuncta:

Praepositio *in* raro huius praepositionis verbum compositum iuxta se tenet, ut in 5 (6, 8 sq.). 29 (20, 7) legitur.

Insulae nomini proprio *in* copulatur hoc loco: *in Helicona, Delon Lyciamque:* 10 (10, 7), quo praepositionem nominibus propriis *Helicona* ac *Lyciam* ad *Delon* positis postulari cognoscimus.

Adverbio *usque* augetur *in* quattuor locis: 156 (66, 7). 160 (67, 19). 172 (71, 5). 181 (72, 13).

---

267) v. B. Kranz, De particularum *pro* et *prae* ... usu. Diss. Breslau 1907.
268) cf. Wölfflin, ALL. XII (1902), 4.
269) Praepositio *sub* cum accusativo coniuncta in libris I et II non invenitur.
270) iam apud priscos usurp.
271) sed *in conspectu:* 16 (14, 2).
272) J. Wackernagel, Vorlesungen über Syntax II (1924), 235.

Optimis exemplis nituntur *in ordinem:* 11 (10, 16) et *in cassum:* 10 (10, 4).

Praepositio *in* cum accusativo coniuncta, quae a Martiano Capella usurpata plerumque interroganti ‚wohin', ‚wozu' respondet, nonnullis locis vim limitationis aut adversativam praebet.

De praepositione *in* ablativum recipiente:

In auctoris libris I et II praepositio terrarum nominibus propriis semper coniungitur: *in Aegypto:* 158 (67, 6). *in Arcadia:* 159 (67, 12), sed cum nominibus urbium propriis nusquam copulatur[273]).

in limitationis exempla exstant in 68 (32, 13). 181 (72, 15).

Exempla *in* temporalis praebentur his locis: 149 (64, 2 et 3). 157 (66, 15).

Voces *in praesenti:* 47 (28, 4 sq.) etiam apud classicos saepius inveniuntur.

F. De verbo.

I. De temporibus:

Cum Martianus Capella optimas temporum consecutionis leges saepius neglegeret, in auctoris scriptis nonnullis locis serioris sermonis vitia apparent. Qua ratione tempora verborum inter se varientur, his exemplis exponam:

quam conveniret accipere ... alternat: 6 (6, 18 sq.).

Sophian ... cupiebat, quod prudens ... sit ..., sed quod ... videretur ..., eam ... non placuit coaptari: 6 (6, 20 sq.).

nec ... quaepiam ..., quae ... deligeretur, occurrit: 8 (9, 4 sq.).

quid eius voluntas haberet, inquirit: 34 (22, 6).

seu consensus noster ne mutilus videretur, approperas: 39 (24, 21 sq.).

quid ageret conspicatur: 111 (47, 6).

E Capellae libris auctorem persaepe verborum formas temporis perfecti pro formis praesentis sermoni inseruisse evidenter apparet, quam quidem consuetudinem praecipue ad *esse* copulae formas pertinere cognoscimus, cuius talia exempla affero:

quicquid vero terrae confine ... fuerat (= erat): 11 (11, 3 sq.).
alia etiam, quae fuerat (= erat) ex argenti materie: 17 (14, 11 sq.).
quod ... Cyllenio fuerit (= sit) obsecuta: 51 (28, 18).
sed peplum fuerat (= erat) caligosum: 67 (31, 14 sq.).
illic ... claustraque fuerant (= erant) Tartarea: 68 (32, 10 sq.).

---

[273]) ut *Cumis est vaticinata:* 159 (67, 17) demonstrat.

huic Vesta, quae etiam coaeva eius fuerat (= erat), adhaerebat: 72 (33, 17 sq.).
tres fuerant (= erant) a fronte gemmae: 75 (34, 9).
quibus fuerat (= erat) eblandita: 88 (37, 15).
qua mos fuerat (= erat): 133 (58, 15).
cum quis hominum genitus fuerit (= erit): 152 (65, 14 sq.).
qui si ... adiuti fuerint (= erunt): 162 (68, 8).
in quo Iovis fuerat (= erat) maximus filiorum: 194 (75, 2 sq.).

II. De modis[274]):

Cum de proprio coniunctivi vel indicativi imprimis in sententiis obliquis usu in aliis huius dissertationis capitibus accuratius agam (vide praecipue ea, quae de hypotaxi producam), illud tantum hoc loco monere liceat: Modus indicativus atque modus coniunctivus in certis auctoris constructionibus haud raro inter se permiscentur, quem morem etiam haec exempla in obliqua oratione aut interrogatione modum indicativum pro coniunctivo praebentia probant:

cernere erat, ... quot ... opera ... d i f f l u e b a n t : 136 (59, 10 sq.). *improbabat aliquantum, quod ... c o n s u l i t u r :* 40 (25, 8 sq.). *augustius quoque fieri Ioviale decretum, cum ... d e p r o m i t u r :* 40 (25, 21 sq.). *demonstrabat ... amnes ..., quos transeundos esse perhibebat, ut ad deum ipsum, quem reperire cura e s t , pervenirent:* 14 (11, 20 sq.). *nec indignum esse, quod sibi alumna praelata e s t :* 173 (71, 12 sq.).

III. De verbo omisso:

U b i s e n t e n t i a v e r b u m f i n i t u m n o n h a b e t, quem sermonis usum apud Martianum Capellam non raro invenimus, i l l u d p l e r u m q u e e sententia ipsa vel praecedente f a c i l e s u p p l e r i p o t e s t : ut

tunc etiam (sc. *poscit*) *ut ... rogarentur:* 42 (26, 10).
item et septem residui (sc. *vocandi sunt*): 43 (26, 15).
post hos ... facies (sc. *venit*): 83 (36, 12 sq.).
dehinc quidam ... praeparatus (sc. *venit*): 84 (36, 14 sq.).
quos inter ... feminae (sc. *videbantur*): 85 (36, 17).
tu quae ... clangere (sc. *potes* aut *doces*): 122 (52, 8)*.
si ante nostrum poculum (sc. *vis attractare*): 134 (59, 1 sq.).

M a i o r e m d i f f i c u l t a t e m p r a e b e t legentibus l o c u s 37 (24, 2 sq.), quo in interrogatione *quotiens — conquestos* verbum omissum, quod illi primae sententiae interrogativae *consuevit:* 37

[274]) cf. et ea, quae auctor ipse de modis attulit in 310 (135, 6 sq.).

(24, 2) respondet, more zeugmatico e praecedentibus suppletum tali modo intellegi vult: *quotiens (Philologia) deos . . . conquestos* (sc. *conivere non pertulit), cum . . .?*

Permulto saepius in auctoris scriptis formae verbi *esse* desunt: ut

apud deponentia:
Uranie . . . speculum . . . largita (sc. *est*): 7 (8, 1 sq.).
ac tunc Latoium conspicati (sc. *sunt*): 16 (13, 23 sq.)[275]).
Calliope orbem complexa (sc. *est*): 28 (19, 22).
post has ingressa (sc. *est*) . . . *femina:* 131 (57, 14 sq.).
creatorem . . . conspicata (sc. *est*): 197 (75, 15 sq.),

apud formas participii perfecti passivi:
quae . . . formatae (sc. *erant):* 16 (14, 3 sq.).
quod superis praescire datum (sc. *est*): 22 (16, 16)*.
Nocturnus Ianitoresque . . . advocati (sc. *sunt*): 60 (29, 8 sq.).
qui . . . Heroes nuncupati (sc. *sunt*): 160 (67, 20 sq.),

in aliis locis:
hic . . . conscius (sc. *est), et tu . . . arcanus* (sc. *es*): 25 (18, 12 sq.).
nec mirum (sc. *esse*): 12 (11, 12).
iure qui divum pater (sc. *es*): 32 (21, 19)*.
quamplures . . . convocandi (sc. *sunt*): 43 (27, 1 sq.).
vultus . . . fratri consimilis (sc. *erat):* 67 (31, 11 sq.).
haec . . . laeva . . . tympanum sustinens (sc. *erat*): 67 (31, 17 sq.).
. . . comasque crederes bratteatas (sc. *esse*): 75 (35, 5 sq.).
verum utrique diversa coniunx (sc. *erat*): 81 (36, 2 sq.).
non sibi quoque nescitum (sc. *esse*): 113 (47, 15 sq.).
ibi sidus Iovis (sc. *erat*): 196 (75, 11 sq.).

Martianus Capella, cum parataxin, ut infra diligentius ostendam, hypotaxi praeferat, verbum finitum imprimis in enumerationibus, ne pares formas acervet[276]), saepius omittit. Neque in omnibus sententiis statim de verbis omissis existimare possumus, utrum stilo cogente ab auctore repudientur an invito neglegantur; quocirca illas quaestiones secuti singulos huius usus locos in legendo accuratius perscrutemur.

G. De congruentia.

Martianus Capella ab optimis congruentiae legibus in his enuntiatis decedit:
cum Virtute Mercurius constiterunt: 16 (13, 23).
quos . . . recurrentes Ver dicebatur et Autumnus . . . contulisse: 75 (35, 1 sq.).

---

[275]) hoc loco moneo cum verbo conspicandi iunctum esse et participium praesentis et infinitivum: *. . . conspicati . . . considentem . . . atque . . . enudare.*

[276]) cf. cum alia tum 76 (35, 9 sq.).

uti ... ille deorum s e n a t u s ... c o n v e n i r e n t *:* 97 (41, 10sq.).
quippe consociato s i b i *... puero ... subvehere non* m o r a n t u r *:* 144 (62, 11 sq.).
retegis q u o d c a e r u l a l u c e t *:* 190 (74, 7)*[277]).

H. De negationibus.

Negationem *h a u d* in Martiani Capellae libris I et II uno tantum loco inveni: *Iunonis consessus haud indecenter*[278]) *ornatus:* 67 (31, 4 sq.); sed *non* creberrime apparet.

Praeter negationes ab auctore adhibitas, quas in sequentibus capitibus afferam, has porro praebeo:

n u m q u a m[279]): 4 (6, 3). 8 (9, 9). 24 (17, 20)*. 25 (18, 16). 42 (26, 9).
n u l l a t e n u s: 135 (59, 7).
n o n d u m : 2 (4, 9). 21 (16, 5)*[280]). 39 (25, 1).

Sermonis usum, quem grammatici l i t o t e t a dicebant, Martianus Capella, ut stilum puto variet, saepius usurpavit: ut *nec non etiam sesquitertiis:* 11 (11, 5 sq.). *nec non etiam pruinarum:* 17 (14, 15). *nec non etiam militaris:* 48 (28, 9 sq.). *nec deerant:* 14 (12, 16). *nec ... deerat:* 117 (49, 10). *dos ... non deesset:* 217 (79, 12 sq.). *non nescis:* 159 (67, 15). *non sibi quoque nescitum:* 113 (47, 15 sq.). *haud indecenter:* 67 (31, 4). *non dispar affectio:* 4 (5, 20 sq.). *non dispar ... luculentas:* 6 (7, 4 sq.). *non cassa opinatione:* 100 (43, 4). *non cassum tremebunda:* 109 (46, 15). *sine magno risu Cypridis non sinebant:* 5 (6, 15 sq.)[281]). *nec mora:* 44 (27, 3).

J. De parataxi.

Cum Martianus Capella, ut iam supra dixi, parataxin maluerit, coniunctiones illam constructionem ducentes in auctoris scriptis saepissime apparent.

I. De coniunctionibus copulativis:

Particulae copulativae *et, -que, atque, ac,* quarum in libris I et II repertarum numerum index infra positus satis edoceat[282]), et vocabula et sententias coniungunt.

[277]) incertum, cum formam *caerula* etiam accusativum pluralis intellegere possimus.
[278]) respice litoteta.
[279]) *non umquam* nullo loco legitur.
[280]) vide tmesin.
[281]) hic et allitterationem cognoscimus.
[282]) exceptis particulis *et — et* atque *et* = *etiam.*

coniunctio	exstat locis	in sermone pedestri	in carminibus	exstat in prosa ad versus ut
et	132	94	38	2,47
—que	394	345	49	7,04
atque	50	40	10	4,00
ac	104	92	12	7,67

Coniunctio **-que**, quae apud priscos saepius usurpata etiam in posteriorum doctorum scriptis[283]) valuit, sed iam ex lingua Augusteae aetatis disparuit[284]), a Martiano Capella ultra modum[285]) imprimis in sermone pedestri adhibetur, quo usu auctorem studiis excultum priscorum morem secutum esse iterum cognoscimus.

atque particula (ante consonantes saepius **ac** apparet) ab initio linguae Latinae stili elati imprimis rhetorum propria iam in deficientis rei publicae sermone vulgari deesse videtur[286]), sed in posteriorum auctorum morem vetustissimorum sequentium scriptis haud raro exstat.

In Martiani Capellae libris I et II particulae *atque* et *ac* exsuperant numero coniunctionem *et*. Quod formas attinet[287]), *atque* legimus 39es ante vocales (plerumque ante *a*- [14es] et *i*- [15es] exstat), sed 11es ante consonantes (c, f, h, m, n, s, v) positam; forma *ac* non nisi ante consonantes et bis ante semivocalem *i*- adhibita *(ac iam:* 5 [6, 13]. *ac Iovis:* 120 [51, 7]*) invenitur. Coniunctio copulativa *atque (ac)* apud auctorem saepius adverbio coniuncta sententiam ducit: ut *atque ita* (septies), *ac tunc* (septies), *ac sic* (quater), *ac mox* (ter), *ac demum* (semel), *ac dehinc* (semel), *ac iam* (semel), *ac nunc* (semel). Vi comparandi apud voces similitudinis aut dissimilitudinis nusquam apparet. Sola particula *atque* velut ‚auch[288])' usurpata, quae a Thesauro ling. Lat. II, 1085,2 semel tantum e Martiani Capellae scriptis profertur: 667 (331, 6), in libris I et II nullo loco legitur.

et coniunctio vi copulativa usurpata, ut iam supra dixi, particulis *-que* et *atque (ac)* cedit; sed multis locis geminata polysyndeton *et — et* praebet, cuius infra exempla afferam.

Dignus denique qui hic commemoretur est coniunctionum usus, ubi t r e s p l u r e s v e e l o c u t i o n e s inter se coniunguntur:

283) Elmer, The American Journal of Philology VIII, 296.
284) Schmalz-Hofmann, pag. 656.
285) cf. Mart. Cap. 47 (28, 6).
286) Schmalz-Hofmann, pag. 657 sq.
287) cf. Thes. l. L. II, 1048 sq.
288) v. Schmalz-Hofmann, pag. 659.

Nam optimas leges Martianus Capella neglexit his locis, quibus tertiam enumerationis partem particula *et* cum secunda coniunxit:

Lychnis, Astrites e t *Ceraunos:* 75 (34, 10).

Hydatide, Adamante e t *Crystallo:* 75 (35, 3).

Sed *-que* coniunctio, quae et a classicis qui vocantur tertiam elocutionem cum ceteris copulantibus non spernitur, a Martiano Capella tali usu saepius usurpatur[289]: ut

in Helicona, Delon Lyciam q u e : 10 (10, 7).
Clotho vero, Lachesis Atropos q u e : 65 (30, 6 sq.).
unum, secundum triadem q u e : 107 (45, 2).
Concordia, Fides Pudicitia q u e : 147 (63, 5).
Linum, Homerum Mantuanumque vatem: 212 (78, 10 sq.); cf. etiam locos 37 (23, 16). 46 (28, 1). 100 (43, 1 sq.). 105 (44, 5 sq.).

At auctor omnino singulas enumerationis partes tot variis modis inter se coniungit, ut certas leges, quibus coniunctionibus copulativis usus sit, afferre non possim.

Particula *e t* v e l u t *e t i a m* adhibita, quae in Ciceronis scriptis raro apparet, sed iam apud Varronem saepius exstat et apud prosae orationis scriptores poetarum usum sequentes inde a Livio vulgatur[290], a Martiano Capella non aestimatur[291]; e paucis exemplis his locis reperta produco: 3 (5, 3). 34 (22, 13). 43 (26, 15). 105 (44, 5). 149 (63, 12).

e t i a m et **q u o q u e** particulae in auctoris libris I et II plerumque optima significatione ‚auch' adhibentur, qua vi verbis aut nominibus coniunctae vix inter se differunt; hae particulae igitur ad usum apud seriores florentem (= ‚und' = *et* aut *-que*) non declinantur, cuius hunc tantum locum inveni[292]: *Hyacintho Dendrites etiam (= et) Heliotropios ... compacti:* 75 (34, 17 sq.). Particulam *quoque,* quam non vulgarem fuisse constat, ab auctore propter sermonis varietatem in libris I et II saepius usurpatam 30ies repperi; sed *etiam* in 60 locis exstat.

a d h u c ad optima exempla spectans (= ‚bis hierher', ‚bis zu diesem Zeitpunkt') apud auctorem nostrum semper ad tempus praesens pertinet[293]: 109 (46, 14). 141 (61, 15). 168 (69, 14). 219 (80, 3)*.

---

[289]) nam auctor hanc coniunctionem, ut ex supra dictis apparet, magni aestimat.

[290]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 661; hac vi imprimis apud posteriores usitata.

[291]) nam particula *etiam* multo praevalet.

[292]) nam locum 100 (43, 1 sq.) alia ratione intellexi.

[293]) nullo igitur loco posteriorum usum sequitur; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 662.

Coniunctio **nec (neque)**, quae plerisque locis ,und nicht' vel ,auch nicht' converti potest, persaepe in sermonis usu, qui litotes dicitur (ut *nec non etiam*) apparet aut geminata *nec-nec* praebet; rarissime *nec (neque)* more prisco velut *non* ponitur, ut in *nec dubitans:* 124 (53, 21)* et *qui nec voluptariae Veneris filius erat:* 144 (62, 12 sq.) legitur. Forma *nec* quinquies fere numero *neque* formam vincit. Vocabula *et non* pro *neque* imposita in libris primo atque altero non inveni.

E coniunctionibus correspondentibus et aliis corresponsionibus a Capella usurpatis has adduco:

et — et: 6 (7, 5 sq.). 10 (10, 3). 85 (36, 20 sq.). 149 (63, 18 sq.) al.
nec — nec: 22 (16, 10 sq.)*. 142 (61, 23 sq.) al. *neque — nec — nec:* 67 (31, 7 sq.). *neque — neque:* 40 (25, 13).
alibi — alibi: 10 (10, 7 sq.).
aut — aut: 9 (9, 15 sq.). 12 (11, 11). 15 (13, 7 sq.). 95 (41, 2).
vel — vel: 149 (64, 2 sq.). 151 (65, 6). 159 (67, 13 sq.).
hinc — hinc: 12 (11, 14 sq.).
nunc — nunc: 67 (32, 3). 127 (56, 23) al.
sive — sive — seu: 39 (24, 19 sq.). *seu — seu — seu:* 1 (3, 15 sq.)*.

Particulam haud vulgarem **quidem**[294]) Martianus Capella persaepe (21es) adhibuit. Sed semel tantum more classico illa cum *ne* copulatur: *ne tibi quidem:* 134 (59, 1)[295]). Plerisque locis *quidem* particula vi correspondente adhibita aut iuxta pronomen posita invenitur: *nam Sophian . . . quidem cupiebat . . ., sed:* 6 (6, 19 sq.). *una quidem — sed:* 83 (36, 12 sq.). *docta quidem — sed:* 93 (40, 8 sq.)*. *quam quidem — sed:* 134 (58, 23 sq.). *qui quidem — alius vero:* 80 (35, 20 sq.). *primus quidem — alter:* 82 (36, 7 sq.). *quae quidem licet . . . crederetur, tamen:* 85 (37, 1 sq.).

quod quidem exponente Cyllenio: 12 (11, 9 sq.). *quae quidem sphaera . . . videbatur:* 68 (32, 14). *qui quidem omnes . . . approbantur:* 154 (65, 20 sq.); confer etiam *quidem* in 27 (19, 15). 28 (20, 2). 67 (32, 2). 132 (58, 8). 141 (61, 18). 157 (66, 14). 176 (71, 21). 180 (72, 9)[296]). 196 (75, 9). 213 (78, 21).

Coniunctio *quidem* ab auctore et vi restringendi et affirmandi usurpatur; sed nonnullis locis etiam minorem vim praebens inane quoddam vocabulum exstat.

[294]) *equidem* in libris I et II non invenitur. v. W. Großmann, De particula *quidem*. Diss. Königsb. 1880. A. Ludewig, Prag. philol. Stud. III (1891); cf. ALL. VII (1892), 606 sq.
[295]) sed ponitur *ne* pro *ne-quidem* hoc loco: 180 (72, 9); cf. etiam 576 (287, 17).
[296]) vide apparatum criticum.

II. De coniunctionibus adversativis:

coniunctio	legitur locis	in sermone pedestri	in carminibus
sed	43	34	9
autem	25	25	—
at	12	9	3
verum	22	22	—
vero	39	39	—

sed et **autem** particulae apud Martianum Capellam omnino more classicorum adhibentur; sed coniunctionem *autem* non nisi in sermone pedestri apparere memoro.

at[297]) (praeterea forma **ast** semel invenitur ante *ubi*[298]) imposita: 73 [33, 24]) in auctoris libris I et II plerumque pedestrem sermonem signat; apparet semper in sententiae initio. Particulam *at* rarissime in orationibus deprehendi notandum duxi[299]). *at* copulatur cum *vero* aut *ubi* his locis[300]): *at vero:* 16 (14, 6 sq.). 17 (14, 16). *at ubi:* 149 (63, 8).

Persaepe a Martiano Capella coniunctio **vero** usurpatur[301]), de cuius usu omnes locos hic cognoscamus:

vero secundum enuntiati locum tenet:

omnes vero illecebras: 7 (8, 7). *auguriales vero alites:* 26 (19, 2). *sola vero:* 28 (20, 3). *Vulcanum vero Iovialem:* 42 (26, 8). *Discordiam vero:* 47 (28, 5). *Iunonis vero Hospitae:* 53 (28, 20 sq.). *Fata vero:* 57 (29, 4). *Clotho vero:* 65 (30, 6). *sphaerae vero:* 73 (34, 3). *omne vero tempus:* 105 (44, 11 sq.). *rari vero:* 136 (59, 14 sq.). *Periergia vero:* 146 (62, 19). *Epicurus vero:* 213 (78, 17).

vero tertium enuntiati locum tenet:

sub calceis vero: 66 (31, 3). *a medietate vero aëris:* 160 (67, 18 sq.). *circa ipsum vero terrae circulum:* 165 (68, 16). *in eadem vero rate:* 184 (73, 5).

vero pronomen sequitur:

quicquid vero: 11 (11, 3). *alius vero:* 14 (12, 23). *illa vero metalli gravioris:* 17 (14, 14). *ipsa vero:* 67 (31, 5). *ipsius vero divae:* 67 (31, 11). *huius vero:* 67 (31, 20). *ipsius vero divi:* 75 (35, 5). *alius vero:* 80 (35, 22). *alia vero:* 89 (38, 4). *ipsa vero ibis:* 178 (72, 3). *ipsam vero ... sphaeram:* 201 (76, 14).

297) cf. Thes. l. L. II, 992 sq.

298) Thes. l. L. II, 944, 30.

299) cf. Bernhard, Apuleius, pag. 125.

300) v. Schmalz-Hofmann, pag. 667.

301) *vero* in libris I et II saepissime sermonem pedestrem signat.

vero post numerale apparet:

tertius vero: 14 (12, 4 sq.). *octava vero:* 52 (28, 18). *novem vero:* 108 (46, 1 sq.).

si vero: 2 (4, 16). *at vero:* 16 (14, 6 sq.). 17 (14, 16). *cum vero:* 18 (14, 23). *tum vero:* 27 (19, 8). *tunc vero:* 136 (59, 9). *an vero:* 37 (23, 13). *tam vero:* 38 (24, 5 sq.).

Coniunctio *vero* igitur exceptis quattuor locis in Martiani Capellae libris I et II semper secundum enuntiati locum obtinet; sed ubi tertium vocabulum exstat, praepositio cum nomine aut pronomine coniuncta, quae voces praecedunt, quasi unam quandam speciem praebet. *vero* particula omnibus fere locis pro *autem* scribitur, quo usu auctor ad posteriorum morem spectat[302]; sed haud raro *vero* praecedentibus tali minore vi opponitur, ut inane vocabulum omitti possit. Quae coniunctio tantum in (librorum I et II) prosa oratione invenitur.

At alio more, quamvis persaepe exstet, coniunctio **verum** ab auctore adhibetur, quae, cum semper ut *sed* usurpetur, maiorem vim quam *vero* praestat nec usquam legentibus inanis vox esse videtur. Particulam *verum,* quam haud vulgarem historicos quidem omnino sprevisse, sed rhetores saepius orationibus inseruisse constat[303]), Martianus Capella vi opponendi usurpatam plerumque primo principalis sententiae loco posuit: 14 (11, 23). 14 (12, 11). 34 (22, 7). 70 (33, 6). 81 (36, 2). 90 (38, 9). 114 (47, 20). 114 (48, 3). 129 (57, 5). 140 (60, 23). 141 (61, 11). 143 (62, 9). 146 (63, 1). 162 (68, 4). 194 (75, 1). 196 (75, 11). 197 (75, 16). 216 (79, 6). 174 (71, 16)[304]).

Ab usu praedicto *verum* paululo decedit in: *nec — verum:* 127 (56, 25 sq.). *non solum — verum:* 143 (62, 9 sq.). *sed non quod — verum illud:* 102 (43, 8 sq.)[305]).

Coniunctio *verum* in Martiani Capellae libris I et II non nisi in sermone pedestri apparet.

atquin[306]): *tunc Iuno ‚atquin' ait ‚... convenit':* 37 (23, 11 sq.).

tamen particula ab auctore non nisi in prosa oratione (29es) adhibita plerumque vim adversativam praebet: Nam 11es coniunctioni *licet* respondet: 11 (10, 14). 16 (13, 21). 20 (15, 15). 25 (18, 19). 44

[302]) Schmalz-Hofmann, pag. 670.

[303]) cf. imprimis Ciceronis atque Sallustii scripta; Schmalz-Hofmann, pag. 671.

[304]) hoc loco fortasse contrarietate nominum propriorum postulatur.

[305]) *verum* hic coniunctioni antecedenti *sed* opponitur; sed confer *verum* bis adhibitum in enuntiato 143 (62, 9 sq.).

[306]) *atqui* non legitur; cf. Thes. l. L. II, 1085 sq.

(27, 7). 85 (37, 3). 100 (42, 18). 106 (44, 16). 170 (70, 11). 179 (72, 6). 216 (79, 8), bis *quamvis* opponitur: 69 (33, 4). 71 (33, 13). In nonnullis aliis locis vis adversativa quidem infirmior esse videtur, attamen plerumque cognosci potest. Voces *sed tamen* apud alios usitatissimae in Capellae libris I et II semel tantum apparent: 167 (69, 12); sed saepius *tamen* pronomen relativum sequitur: 17 (14, 11). 67 (31, 15). 151 (65, 2). 197 (75, 20).

III. De coniunctionibus disiunctivis:

Numerum coniunctionum disiunctivarum in libris I et II exceptis *aut-aut* et *vel-vel* repertarum hoc indice cognosces:

coniunctio	exstat locis	in sermone pedestri	in carminibus
aut	12	11	1
vel	17	8	9
—ve	2	1	1

vel particula, quae ab linguae Latinae initio elati sermonis propria erat, apud auctorem (lib. I et II) imprimis in carminibus saepius quam vulgaris coniunctio[307]) **aut** exstat. At Capella, cum stilum omnino variare soleat, Apulei usum non sequitur, qui in libro qui *Metamorphoses* inscribitur coniunctionem *aut* plane fere repellit[308]). Utriusque coniunctionis vis disiunctiva plerumque cognosci potest, etiamsi *aut* et *vel* nonnullis locis ad significationem copulativam *(= et)* inclinant, ut in 31 (20, 24)* *vel* pro *et* adhibetur. E seriorum *(vel = et)* usu etiam correspondentia *vel — et:* 114 (48, 6 sq.) atque *-que — vel:* 21 (15, 21 sq.)* orta esse videntur. Hoc uno loco *vel* augetur particula *etiam: Fatui Fatuaeque vel Fantuae vel etiam Fanae:* 167 (69, 9 sq.).

Vim augendi ‚auch', ‚sogar' praebet *vel* in hac sententia: *instatque, quicquid velle vel*[309]) *serum potes:* 32 (21, 16)*.

-ve bis tantum invenitur: *quid cogat quidve retardet:* 118 (50, 8)*. *quid ... gerant, quidve ... dicatur:* 149 (64, 6 sq.).

Etiam coniunctionem disiunctivam **sive (seu)**[310]) exceptis correspondentibus in pagina 69 allatis bis tantum repperi: 149 (63, 12). 168 (69, 15).

---

[307]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 673.

[308]) Schmalz-Hofmann, pag. 675. Bernhard, Apuleius, pag. 126.

[309]) vide hic allitterationem.

[310]) cf. C. F. W. Müller, Über den Gebrauch der Partikel *sive*. Berl. 1871.

IV. De coniunctionibus causalibus:

coniunctio	exstat locis	in sermone pedestri	in carminibus
nam	50	41	9
namque	2	—	2
enim	7	7	—

Coniunctio **nam**, quae apud Martianum Capellam multo praeponderat, non semper maiorem vim causalem praestat, sed nonnullis locis continuationem tantum sententiarum perhibet. *nam* particula in auctoris libris I et II uno loco eoque poetico 1 (3, 14)* excepto semper in primo enuntiati loco scripta apparet.

At **enim** ubique secundum sententiae locum obtinet[311]), quae particula inter alias has voces sequitur: *neque enim:* 15 (13, 16). 196 (75, 5). *non enim:* 149 (64, 8). *sic enim:* 145 (62, 16); confer etiam locos 75 (35, 4). 150 (64, 20 sq.). 151 (65, 5).

etenim in auctoris libris I et II non invenitur.

namque particula a Martiano Capella raro usurpata non nisi in carminibus exstat: 1 (3, 9)*. 124 (53, 15)*, ubi ante vocales imposita legitur.

De usu particulae **quippe** ab auctore persaepe (30^{ies}) usurpatae haec memoro: Quae coniunctio semper paene libera (ut *nam* aut *enim* adhibita) exstat, quin etiam nonnullis locis pro *quod* vel *cum* posita intellegi potest. Rarissime autem apparent voces apud optimos auctores usitatissimae *quippe qui* et *quippe cum:* Nam *quippe cum* semel invenitur: 23 (17, 13), *quippe qui* deest. Simili ratione componitur *quippe ii:* 55 (29, 2). Praeterea *quippe* in his locis legitur: 6 (7, 6). 7 (7,13). 10 (10, 5). 14 (11, 24). 23 (17, 5). 24 (17, 24)*. 25 (18, 22). 27 (19, 9). 27 (19, 14). 32 (21, 10)*. 39 (25, 2). 40 (25, 19). 44 (27, 4). 51 (28, 16). 57 (29, 5). 75 (34, 9). 91 (39, 7)*. 105 (44, 6). 107 (45, 1). 109 (46, 12). 131 (57, 18). 132 (58, 7). 138 (60, 7). 141 (61, 17). 144 (62, 11). 182 (72, 19). 200 (76, 8). 207 (77, 12).

V. De coniunctionibus conclusivis:

coniunctio	exstat locis	in sermone pedestri	in carminibus
igitur	31	29	2
ergo	5	1	4
itaque	3	3	—

[311]) qui auctoris usus ab *enim* adhibendi more Apulei differt; cf. Bernhard, Apuleius, pag. 28. O. Hey, ALL. XIV (1906), 271 sq.

In coniunctionum conclusivarum usu apud Martianum Capellam (lib. I et II) praevalet **igitur**, quae particula in secundo enuntiati loco poni solet; hoc modo adhibita saepe pronomen *hic* et illius substantivum interposita seiungit, ut in 5 (6, 5). 15 (13, 1). 69 (33, 1 sq.). 107 (45, 12) alias legitur.

Si *igitur* tertium sententiae locum obtinet, plerumque praepositionem in initio collocatam deprehendes: *super his igitur ... thalamis:* 8 (9, 3). *ex his igitur urnis:* 18 (14, 19). *de eadem igitur regione:* 47 (28, 7). *ex cunctis igitur ... regionibus:* 61 (29, 9). *inter priores igitur Genios:* 168 (69, 14); solutiorem autem usum praebet *igitur* in his locis: *te te igitur ... deposco:* 32 (21, 17 sq.)*. *par est igitur:* 39 (25, 4). *dum haec igitur Musae ... interserunt:* 127 (56, 23 sq.).

In primo sententiae loco particula *igitur* bis tantum posita invenitur: *igitur constitutum* (sc. *est*): 8 (9, 10). *igitur quaternarius numerus ... absolvit:* 107 (45, 9 sq.).

Coniunctiones conclusivae **ergo** et **itaque** ab auctore valde negleguntur:

ergo praecipue carmina signat: 31 (21, 7)*. 91 (39, 5)*. 93 (40, 13)*. 220 (80, 5)*, sed semel tantum in sermone pedestri apparet: 109 (46, 7).

itaque particula, quae semper primum enuntiati locum tenet, non nisi in prosa oratione scripta reperitur: 6 (6, 18). 101 (43, 4). 114 (48, 5).

K. De hypotaxi.

I. De sententiis relativis:

Cum de relativi pronominis in Martiani Capellae libris I et II usu iam in priore dissertationis capite non pauca asseruerim, hoc loco de coniunctivo disputemus, qui modus ab auctore in sententiis relativis[312]) usurpatus persaepe exstet; sed hanc constructionem in libro altero multo rarius inveniri notandum est, quem Capellae usum fortasse inde intellegere possumus, quod auctor primum docto stilo atque elato studuit, sed mox ad sermonem simpliciorem recessit.

Ex maiore numero sententiarum relativarum, quae coniunctivum praebent, has affero: *Uranie ... speculum ..., quo ... originem vellet exquirere, ... largita* (sc. *est*): 7 (8, 1 sq.). *tunc crepitacula ..., quis infanti somnum duceret:* 7 (8, 11 sq.). *rotas, quis ... posset ... discurrere:* 7 (8, 16 sq.). *nec ... quaepiam ..., quae ... deligeretur, occurrit:* 8 (9, 4 sq.). *neque enim ulla ... erat, quae ... esset ... feriata:* 15 (13, 16 sq.). *quae possit:* 22 (16, 15)*. *quae ei tantum ...*

[312]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 708 sq.

impenderit, ut: 23 (17, 11 sq.); confer etiam hos locos: 26 (19, 3). 37 (23, 12 sq.). 37 (23, 14). 40 (25, 9 sq.). 67 (31, 15 sq.). 81 (36, 5). 108 (46, 5 sq.). 141 (61, 12 sq.). 177 (72, 2). 208 (77, 16 sq.).

Licet coniunctivus tali ratione adhibitus plerumque optimis legibus (ut vi finali aut consecutiva aut causali) intellegi possit, tamen auctorem huic modo enuntiatis relativis inserto favisse contendo. Sed in sententiis relativis *quisquis* aut *quicumque* ductis, ubi coniunctivus apud posteriores saepius apparet[313]), a Martiano Capella bis tantum imponitur: *quicquid ille ... dictaverit:* 3 (5, 15 sq.). *quicquid ... compererim:* 24 (17, 18 sq.)*.

Sententiae relativae *sunt qui* ... et similes in auctoris libris raro exstant; si caput earum sensum positivum praebet, modus indicativus in enuntiato relativo apparet; sed capitis sensus negativus coniunctivum efficere solet: ut *nec deerant, qui ... cupiebant:* 14 (12, 16 sq.). *neque enim ulla ... erat, quae ... esset ... feriata:* 15 (13, 16 sq.). *an vero quisquam est, qui ... asserat:* 37 (23, 13 sq.). *nihil est, quod discrepet:* 108 (46, 5).

Ubi substantivum interponitur (velut *est* — substantivum — *qui*), modorum usus nutat.

Adnoto denique hoc loco p r o n o m i n i s r e l a t i v i a b l a t i v u m *q u o*[314]), quae forma compluriens ab auctore vi instrumentali pro *ut* finali adhibetur: 24 (18, 5)*. 31 (21, 8)*. 32 (21, 20)*. 33 (22, 3)*. 36 (23, 1). 115 (48, 15)[315]).

II. De enuntiatis coniunctionalibus:

Quaestiones huius capitis ita disponam, ut singulas coniunctiones quo usu Martianus Capella adhibuerit, ostendam.

Coniunctio **q u o d**, quam in auctoris libris I et II 44es scriptam inveni, plerumque causalem vim (= ‚weil') praebet. Si coniunctivus in sententiis per coniunctionem *quod* ductis apparet, plerumque obliqua causa tenetur. Etiam in veriloquiis hic modus ponitur: v. 149 (63, 13). 152 (65, 11). 167 (69, 11). 188 (74, 1 sq.)*. 189 (74, 6)*. Quocirca auctorem et illo sermonis usu modum indicativum cum coniunctivo confudisse censeo.

In seriorum scriptis saepius sententias coniunctione *quod* ductas (ut enuntiatur ὅτι in posterioribus Graecorum litteris) pro accu-

[313]) ut apud Apuleium legitur; cf. et F. Skutsch, Kl. Schriften (1914), 156.

[314]) apud seriores, quorum nonnulli priscorum sermonem sequuntur, saepius usurpatur; cf. Schmalz-Hofmann, pag. 787.

[315]) forma *quo* hic comparativo *verius* augetur.

sativi cum infinitivo structura collocatas esse constat; cuius sermonis usus etiam apud auctorem nostrum non pauca exempla reperiuntur, quorum quidem pleraque in priorum more scribendi nituntur: *addo, quod ... numquam convenit:* 25 (18, 15 sq.)[316]. *addo, quod celebrat:* 36 (23, 3). *hoc in ea perhibetur intuita, quod ...:* 181 (72, 15)[317]. *cognoscunt, quod «Phoebo gaudet Parnasia rupes»:* 11 (10, 11 sq.)[318]. *certum quippe est, quod ...:* 25 (18, 21 sq.)[319]. *nec mirum* (sc. *esse*), *quod ... congrueret:* 12 (11, 12 sq.)[320]. *nec indignum esse, quod ... praelata est:* 173 (71, 12 sq.)[321].

quia coniunctio, quae apud plerosque seriorum auctorum coniunctionem *quod* summovet[322], in Martiani Capellae libris I et II ter tantum exstat; ducit *quia* semper indicativum: *sed tibi non quia dum venit ... voluntas:* 21 (16, 5)*. *quia ... optaverat Iuppiter ... consilium:* 40 (25, 16 sq.). *vel quia dissolvis nocturna admissa:* 191 (74, 9)*.

De **quam** particulae usu respice hos locos:

magis (mage) — quam: vide in pag. 37 huius dissertationis allata.

minus — quam: 154 (65, 20 sq.).

tam — quam: 68 (32, 13). 163 (68, 11). 218 (79, 18).

quam maxime: confer ea, quae in pag. 38 attuli.

novi quippe, quam ... labor tibi semper acceptus: 39 (25, 2 sq.).

Significatione inusitata denique *quam* hoc loco imponitur, quo velut *minus quam*[323] adhibetur: *exhinc medio quam ad lunam conscenderat:* 171 (70, 12 sq.).

tamquam semel tantum invenitur: 67 (32, 5).

Coniunctio **postquam**, quam semper significatione ‚nachdem' usurpatam deprehendimus, plerisque locis optimas leges secuta indicativum perfecti iuxta se tenet: 30 (20, 16 sq.)[324]. 34 (22, 5). 94 (40, 19). 132 (58, 8 sq.). 139 (60, 14 sq.). 140 (61, 6). 141 (61, 19 sq.). Praeterea *postquam* copulatur semel cum altero futuro: 100 (43, 3), quod consecutione temporum postulatur, sed semel cum indicativo

---

[316]) v. Thes. 1. L. I, 590.

[317]) *quod* post verba dicendi usque ad classicos haud saepe invenitur.

[318]) particula *quod* (=ὅτι) hic vocabula e Vergilio allata ducit.

[319]) de hoc sero usu, cuius coniunctionem *quod* coniunctivum ducere adnoto, confer Thes. 1. L. III, 914; sed accusativum cum infinitivo post *certum est* impositum videas in 4 (5, 19 sq.).

[320]) *mirari quod* omnino saepius apparet.

[321]) Coniunctio *quod* hoc loco, ut puto, collocatur, ne infinitivus de infinitivi *esse* structura dependeat.

[322]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 725.

[323]) de similibus cf. ea, quae contulerunt Schmalz-Hofmann, pag. 733.

[324]) Licet formae verbi *esse* desint, tamen hoc loco e Vergilio (Aen. I, 520) allato perfecti indicativum intellego.

plusquamperfecti coniungitur, quod tempus certa intervalli definitione probatur: 169 (69, 20 sq.).

priusquam hoc uno loco scriptum apparet: 2 (4, 11).

antequam et *quamquam* in Capellae libris I et II non leguntur.

Etiam **quamvis** bis tantum exstat: *quamvis intus . . . intrarent:* 69 (33, 3 sq.). *quamvis fecunda circumfusaque partubus:* 71 (33, 12 sq.).

Quod particulas concessivas attinet, Martianus Capella coniunctionis **licet**[325]) usum, quam uno loco excepto usitatiorem morem secutus[326]) semper coniunctivo coniungit[327]), maximi aestimat, de quo indice infra allato satis cognosces:

licet copulatur cum coniunctivo

licet . . . praegravarit: 7 (8, 17 sq.). *licet . . . colliserint:* 16 (13, 20). *licet . . . titularint:* 44 (27, 5 sq.). *licet . . . optarit:* 100 (42, 17 sq.). *licet . . . tribuerit:* 149 (63, 10 sq.).	perfecti,
licet . . . vincatur: 25 (18, 16 sq.). *licet . . . aestimetur:* 106 (44, 16). *licet . . . antevolet:* 148 (63, 6 sq.).	praesentis,
licet intervenirent: 11 (11, 7). *licet . . . viderentur:* 20 (15, 14 sq.). *licet . . . descenderet:* 42 (26, 9 sq.). *licet . . . crederetur:* 70 (33, 11). 76 (35, 8 sq.). 85 (37, 2). 87 (37, 6). 170 (70, 10). *licet . . . cognosceret:* 179 (72, 5). *licet perstreperent:* 213 (78, 22 sq.). *licet . . . iuberetur:* 216 (79, 7).	imperfecti.

Semel tantum coniunctio *licet* iuxta se patitur modum indicativum, qui, cum bene traditus sit, raro more ab auctore impositus nec multis aliorum scriptorum exemplis nixus[328]) nobis tenendus est: *licet . . . perhibebant:* 11 (10, 12 sq.).

dum particula ab auctore (lib. I et II) 9 locis usurpata semper ‚während' converti potest, sed nonnullis locis ad vim causalem accedit; quam coniunctionem Martianus Capella plerumque cum indicativo praesentis coniungit: 2 (4, 5 sq.). 5 (6, 7). 8 (9, 3 sq.). 25 (18, 19). 98 (42, 11)*. 127 (56, 23 sq.); sed ter seriorum morem secutus

---

[325]) *licet* = ‚es steht frei', ‚ist erlaubt': 21 (16, 3)*. 134 (59, 2).

[326]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 738.

[327]) sed imperfecti et plusquamperfecti usum posterius ortum esse inter omnes constat. cf. Emory B. Lease, ALL. XI (1900), 24 sq.

[328]) ut apud Cyprian. Epist. VIII, 2 legitur: *licet . . . ruerunt.* cf. Schmalz-Hofmann, pag. 739; E. B. Lease, ALL. XI (1900), 25.

dum copulat coniunctivo imperfecti[329]): 16 (13, 19 sq.). 100 (42, 19). 138 (60, 1).

De **cum** coniunctionis usu vide hunc indicem:

coniunctio	exstat locis	in sermone pedestri	in carminibus
cum ducit coniunctivum	27	26	1
cum ducit indicativum	18	9	9

Coniunctio *cum* coniunctivo coniuncta, cui apud auctorem semper causalem aut temporalem vim inesse cognosces, plerisque locis tempus imperfectum post se habet; praeterea autem cum praesenti et bis: 47 (28, 6 sq.)[330]). 149 (63, 15 sq.) cum perfecto copulatur.

Persaepe *cum* imprimis in carminibus modo indicativo coniungitur; sed cum illum modum omnino optimis legibus (nam *cum* temporale aut iterativum aut inversum leges) probari appareat, in auctoris enuntiatis coniunctione *cum* ductis indicativum cum coniunctivo non misceri perspicies. Hac cognitione fretus post voces *praesertimque cum:* 47 (28, 6) sine dubio vi causali adhibitas formam *fuerint* compluribus codicibus (rMDγv) traditam Dickii auctoritate reiecta malo.

tum particulae *(cum — tum)* in nullo librorum I et II loco *cum* respondet.

Coniunctionem **quoniam**, quam auctores priscorum sermonem sequentes saepius significatione temporali adhibuisse constat[331]), Martianus Capella, licet illa nonnullis locis ad sensum temporalem accedens inveniatur, omnino causali vi usurpavit; copulatur *quoniam* semper cum indicativo: ut

praesentis: 65 (30, 7 sq.). 152 (65, 7 sq.). 152 (65, 14 sq.). 153 (65, 17 sq.). 162 (68, 5),

imperfecti: 88 (37, 11 sq.). 89 (38, 5). 140 (61, 4 sq.). 143 (62, 4 sq.),

perfecti: 41 (26, 6 sq.). 52 (28, 19)[332]). 180 (72, 10 sq.),

plusquamperfecti: 202 (76, 19 sq.).

[329]) Confer et coniunctionis *cum* usum.

[330]) vide ea, quae de hac coniunctione cum indicativo coniuncta afferam.

[331]) v. Schmalz-Hofmann, pag. 753.

[332]) incertum utrum tempus perfecti an plusquamperfecti hic intellegendum sit, cum forma verbi *esse* omittatur.

ut (uti):

In Martiani Capellae libris I et II *ut* consecutivo, quod numero *ut* finale[333]) altero fere tanto exsuperat, plerumque correlativum in sententia principali positum respondet, quo usu saepissime *ita* adhibitum exstat; sed auctor, cum *ita* et *tam* particulas promiscue habeat, optimas grammaticorum leges compluriens neglegit: cf. locos 25 (18, 19 sq.). 40 (25, 12). 154 (66, 2 sq.). Vox *ita* ipsa cum *ut* coniunctione coniuncta saepius in vulgari sermone reperitur[334]): 15 (13, 5). 23 (17, 9). Praeter *ita* ac *tam* etiam haec correlativa coniunctioni *ut* respondent: *sic*[335]): 92 (40, 3 sq.)*. 126 (56, 12 sq.)*. *eo usque:* 133 (58, 12)[336]). *tantus:* 4 (6, 2 sq.). 23 (17, 3 sq.). 23 (17, 11 sq.). 208 (77, 19 sq.).

Vocabula *tam vero abest, ut:* 38 (24, 5 sq.)[337]) auctor, ut puto, spectans ad voces *tantum abest, ut,* quas in libris I et II nusquam scriptas reperimus, praedicta ratione composuit.

convenire, ut: 40 (25, 19) iam apud classicos qui vocantur invenitur[338]).

Nonnullis locis Martianus Capella *ut* finale aut consecutivum omisit: *igitur constitutum* (sc. *ut*) ... *adiretur:* 8 (9, 10 sq.). *flagitat pignus* ... (sc. *ut*) ... *iugetur:* 32 (21, 22 sq.)*. *praecepit deorum pater* (sc. *ut*) ... *subveharis:* 134 (58, 22 sq.). *praecipiens* (sc. *ut*) *omnia* ... *expelleret:* 141 (61, 15 sq.). *par est* (sc. *ut*) *deorum convoces coetum:* 33 (22, 1)*. *par est* ... (sc. *ut*) ... *decernas:* 39 (25, 4 sq.).

At permultas infinitivi sententias auctor post verba sermoni imposuit, pro quibus enuntiata coniunctione *ut* ducta exspectantur: ut *quique* ... *filias* ... *ad parentum* ... *conspectum fecerat*[339]) *subvolare:* 34 (22, 8 sq.). *cum eos* ... *ad se venire* ... *compelleret:* 37 (24, 3 sq.). *cum zodiaca eum hospitia praemetantem numquam abesse* ... *permitteret:* 8 (9, 9 sq.). *et auro ac monilibus inhiare membraque vinciri* ... *persuaserat:* 7 (8, 10 sq.). *Iovis scriba praecipitur* ... *caelicolas advocare:* 41 (26, 3 sq.). *Iuppiter* ... *praecepitque*[340]) *cunctos* ... *residere:* 90 (38, 6 sq.). *eademque saxa stelas appellans deorum stemmata praecepit continere:* 137 (59, 20 sq.). *priore loco praecepit venire Cyllenium:* 209 (78, 3). *decuriatum* ... *aggarrire non perferens Martianus intervenit:* 2 (4, 7 sq.). *quae illum*

---

333) pro *ut* negato 11es usitatur *ne; ut non* nullo loco legitur.

334) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 760.

335) non nisi in carminibus usurp.

336) *usque eo* inde a Cic. Caes. Nep. apparet.

337) qui sermonis usus, ut Thesaurus ling. Lat. I, 213 perhibet, non nisi hoc Capellae loco exstat.

338) Thes. l. L. IV, 838.

339) Thes. l. L. VI1, 116.

340) ad analogiam verbi *iubere* usurpatum.

...*conivere non perferat:* 37 (23, 12 sq.). *quorumque nomina quoniam publicari secretum caeleste non pertulit:* 41 (26, 5 sq.). *exorata eius matrona provenire et . . . removere:* 3 (5, 14 sq.). *illum (= Iovem) contribuas favere iussis:* 24 (18, 9)*[341]. *quaeque Platonis Pythagoraeque esse dedisti sidera mentes:* 125 (54, 17 sq.)*[342]. *da pater aetherios mentis conscendere coetus . . . -que . . . noscere caelum:* 193 (74, 18 sq.)*. *da nosse poscenti:* 149 (64, 5 sq.).

De forma *uti* = *ut* in dissertationis parte, quae „De vocabulorum copia" inscribitur, disseram.

Coniunctio *ut* cum indicativo perfecti coniuncta, quae significat ‚sobald als', ab auctore raro tantum adhibetur: ut *talia conserentes ut procul Pythius adventare conspexit:* 20 (15, 11 sq.). *qui mox ut*[343]) *coepit ingressui propinquare:* 73 (33, 21).

ut significatione ‚wie' adhibitum saepius invenitur, quo usu etiam ponitur in hoc enuntiato: *novi quippe, quam eiusdem virginis incessabilis labor tibi semper acceptus et ut e tuis numeretur illa pedisequis:* 39 (25, 2 sq.), ubi vi cum *quam* particula congruit[344]).

ubi coniunctio apud Martianum Capellam saepius ad locum quam ad tempus pertinet; significatione ‚sobald als' usurpata semper cum indicativo perfecti collocatur[345]): 23 (17, 2). 73 (33, 24). 149 (63, 8).

simul (= ‚sobald als')[346]): *qui simul . . . percepit:* 209 (78, 1 sq.).

quin tantum vim augendi praebet: *quin potius:* 2 (4, 12). 25 (18, 11). *quin crebrius:* 22 (16, 16)*.

Sententiae condicionales in Martiani Capellae libris I et II coniunctionibus **si** et **nisi (ni)** ducuntur; *si non* nusquam apparet. Coniunctivum iterativum post *si* positum[347]) respicias his locis: 19 (15, 8 sq.). 23 (17, 9 sq.). 67 (31, 15 sq.). 112 (47, 12). 155 (66, 5).

[341]) usus rarissimus; cf. Thes. l. L. IV, 778.
[342]) Thes. l. L. V1, 1690.
[343]) in seriorum sermone componuntur voces *mox ut,* e quibus gignitur hic usus: *mox* = *mox ut:* 89 (37, 16); cf. Kühner-Stegmann, II² (1914), 365.
[344]) notandum propter sermonis varietatem.
[345]) *ubi:* 27 (19, 16) de loco dictum intellego.
[346]) adverbium *simul:* 5 (6, 6).
[347]) cf. Schmalz-Hofmann, pag. 774 sq.

Pars tertia.

De vocabulorum copia.

A. De substantivis.

Substantivorum **formae rariores**, quae praeter usitatiores adhibitae apparent (vernacule: Nebenformen), in Martiani Capellae libris I et II haud saepe inveniuntur. Caveamus igitur, ne tales formas falsa opinatione in auctoris scriptis nimis deprehendamus.

Nam Georges[348]) formam *copula:* 1 (3, 6)* pro neutri pluralis nominativo sumit, equidem hanc formam hic metonymice de persona (= is, qui coniungit) usurpatam et pro singularis vocativo positam puto[349]). Similiter perperam Georges formam *vomitium, ii, n.* pro *vomitio, onis, f.* positam esse perhibet[350]) hoc loco: 136 (59, 9); sed ego quidem Dickii auctoritatem secutus[351]) tam *nausea* quam *vomitio* ibi significare vomitum (‚das Erbrochene‘) contendo.

At hae substantivorum formae, quarum nonnullas rariorem tantum scribendi rationem ostendere apparet, a nobis probantur:

ad priscorum sermonem spectantes:

aethra, ae, f.[352]): 120 (51, 6)*. 126 (56, 15)*. 185 (73, 15)* = *aether, eris, m.* (v. Thes. l. L. I, 1158).

competum, i, n.: 68 (32, 12). 96 (41, 8) = *compitum:* apud Varronem al. (v. Thes. l. L. III, 2075).

labos, oris, m.[353]): 124 (53, 13)* = *labor;*

ex usu seriorum ortae:

coniuga, ae, f.[354]): 4 (5, 21) = *coniux, iugis, f.* (v. Thes. l. L. IV, 321).

cunctamentum, i, n.: 6 (6, 19) (v. Thes. l. L. IV, 1391) = *cunctamen,* ut videtur, recte coniectum a Grotio (*cuncta merito* trad.).

---

348) Georges, Ausf. Lat.-deutsch. Handwörterbuch[8] I (1913), 1684.

349) Thes. l. L. IV, 917 sq. A. Dick, Wortformen (1901), 10.

350) Georges, Lat.-deutsches Handwörterbuch[8] II (1918), 3552.

351) A. Dick, Wortformen (1901), 32.

352) Quae forma imprimis apud seros usitata in Martiani Capellae libris I et II tantum carmina signat, sed tamen saepius quam forma *aether* apparet.

353) forma praecipue a poetis adhibita; cf. Neue-Wagener, Formenlehre[3] I (1902), 265.

354) quae rara forma in Apulei libro qui inscribitur *Metamorphoses* ter (VI, 4. VIII, 22. IX, 4) invenitur.

c e r a u n u s (- o s), i, m.: i. gemma: 67 (31, 7). 75 (34, 10) = *ceraunius (-a, -um)* (v. Thes. l. L. III, 857).
p r a e s t i g i u m, i i, n.: 36 (23, 4) = *praestigia, ae, f.*
h a l a t u s, u s, m.[355]): 7 (8, 9). 14 (12, 13). 85 (36, 21). 165 (68, 17). 215 (79, 6) = ***halitus.***
c r o c o d i l l u s, i, m.[356]): 183 (73, 4) = *crocodilus* (v. Thes. l. L. IV, 1213 sq.).
a r c h i v u m, i, n.: 65 (30, 9) = *archium* (v. Thes. l. L. II, 466).

Constat auctorem, ut iam supra dixi, externa vocabula saepissime in formam Latinam convertisse, quem sermonis usum etiam his exemplis cognoscamus:
b u p a e d a, a e, m.[357]): 31 (20, 24)* = *bupaes, aedis, m.;* confer etiam 908 (482, 8).
c (h) l a m y d a, a e, f.[358]): 5 (6, 14) = *c (h) lamys, ydis, f.* (v. Thes. l. L. III, 1011).
c r e p i d a, a e, f.[359]): 10 (10, 9)[360]) = *crepis, idis, f.* (v. Thes. l. L. IV, 1166 sq.).

P e r m u l t a s u b s t a n t i v a (cf. et ea, quae supra attuli) Martianus Capella **e G r a e c a l i n g u a** recepit, quin etiam nomina Graeca adhibuit, quae apud alios linguae Latinae auctores non invenimus: ut
a s t r i t e s : 75 (34, 10) (Thes. l. L. II, 949)[361]).
d e n d r i t e s : 75 (34, 18) (v. Thes. l. L. V1, 522).
h y d a t i s, i d i s, f.: 75 (35, 3).
c a l y m m a, a t i s, n.: 67 (31, 6) (v. Thes. l. L. III, 199).
l o g i a (neutr. plur.) = ‚Orakelsprüche': 9 (9, 19).
m e l o d i a, a e, f.: 27 (19, 13); cf. et 905 (479, 13). 910 (483, 6). 910 (483, 10). 921 (490, 3).
n u s[362]) = ‚Verstand': 126 (56, 18)*.

Cetera substantiva Graeca in Martiani Capellae libris I et II Latinis litteris posita, cum etiam apud alios linguae Latinae auctores legantur, hoc loco non affero. Pleraeque huius usus voces ad artes aut litteras pertinent; nam non paucas auctorem de Graecorum libris

[355]) forma *halitus (habitus* trad.) a Böttgero coniecta tantum loco 219 (80, 1)* invenitur.

[356]) de *-ll-* v. Havet, ALL. IX (1896), 135 sq.

[357]) haec Graeci accusativi forma pro nominativo adhibita non nisi apud Mart. Cap. apparet; v. Thes. l. L. II, 2245.

[358]) cf. Apul. Met. X, 30 et XI, 24.

[359]) quae forma iam apud classicos usurpatur.

[360]) formam hoc loco adhibitam etiam Graecum pluralis accusativum praebentem intellegere possumus.

[361]) vocabulum Graecum non traditum; *asterites:* Isid. orig. 16, 10, 3.

[362]) de substantivo ex coniectura Eyssenhardtii Graecis litteris scripto: 92 (39, 15)* vide ea, quae pag. 95 asseram.

doctis deprompsisse verisimile est. Nonnullis locis etiam res ad communem vitae usum pertinentes talibus substantivis perhibentur. At, licet fabulam Martianus Capella omnino de deis conscripserit, tamen perpauca tantum substantiva Graeca ad numina spectantia apud auctorem inveniri notandum est.

Substantiva deminutiva Capella saepius adhibuit:

Iam in optimorum auctorum scriptis apparent :
calculus, i, m.: 102 (43, 13). *circulus, i, m.:* 27 (19, 15). 28 (19, 19) al. *corolla, ae, f.:* 119 (50, 18)*. *fabella, ae, f.:* 2 (4, 17). *igniculus, i, m.:* 7 (8, 5). *lapillus, i, m.:* 110 (46, 17). *libellus, i, m.:* 220 (80, 6)*. *osculum, i, n.:* 85 (36, 22). 130 (57, 10). 172 (71, 5). *pugillus, i, m.:* 3 (5, 16). *rivulus, i, m.:* 14 (12, 9). *surculus, i, m.:* 110 (46, 17). *tabella, ae, f.:* 179 (72, 4). *urnula, ae, f.:* 16 (14, 2). *versiculus, i, m.:* 2 (4, 5).

In seriorum sermone haec deminutiva orta esse videntur:
herbuscula, ae, f.: 100 (42, 20). *interula, ae, f.:* 7 (7, 17). *notula, ae, f.:* 66 (31, 2). *nugulae, arum, f.:* 2 (4, 8).

Substantiva syncopam praebentia *saecla:* 92 (40, 6)*. 123 (53, 6)*, *vinclum:* 7 (7, 16). 33 (22, 4)*. 37 (23, 12), *vincla:* 40 (25, 21), *vinclis:* 1 (3, 7)* omnia, ut puto, aut metro aut rhythmo cogente ab auctore ponuntur[363]).

Quod **declinationes substantivorum** attinet, hic Martiani Capellae usus nobis occurrit: Raro tantum inveniuntur substantiva quintae declinationis, sed persaepe praeter nomina in *-a* et *-us (-um)* cadentia tertiae et quartae classis substantiva usurpantur, quorum usu auctorem praecipue abstractis gavisum esse bene cognoscemus[364]).

In substantivorum tertiae declinationis numero ea, quorum nominativus singularis in *-tio* et *-tas* cadit, praevalent: Quarum alia actiones perhibere solent (cf. et substantiva quarti ordinis), sed altera haud raro iam ad linguarum Romanicarum usum accedentia plerumque propria praebent. Haec exempla affero substantivorum, quae cadunt in *-tio*: *adiectio:* 3 (5, 5). *admixtio:* 14 (12, 21). *adumbratio:* 166 (69, 2). *affectatio:* 7 (8, 11). *affectio:* 4 (5, 21). *afflictatio:* 140 (61, 4). *assertio:* 121 (51, 23)*[365]). *caligatio:* 11 (10, 21)[366]). *circumspectio:* 127 (56, 28). *coactio:* 37 (24, 3)[367]). *cogitatio:* 153 (65, 17). *cognitio:* 75 (34, 11). *collatio:* 7 (8, 20). *commixtio:*

---

[363]) cf. A. Sundermeyer, De re metr. et rhythm. Mart. Cap. Diss. Marp. 1910.

[364]) v. C. Böttger, Neue Jahrb. für Philol. u. Pädag. (Jahns Archiv). Suppl. XIII (1847), 590 sq.

[365]) vox plerumque apud posteriores usurpata (Thes. l. L. II, 868 sq.).

[366]) vocabulum non nisi apud Plin. nat. 29, 123 et Mart. Cap. loco allato repertum (Thes. l. L. III, 155).

[367]) *coactio* = *vis illata* aut *necessitas* (Thes. l. L. III, 1369).

40 (25, 13)[368]. *commutatio:* 67 (31, 13). *conceptio:* 162 (68, 6). *conciliatio:* 34 (22, 14). *congestio:* 183 (73, 1). *conquisitio:* 80 (35, 22). *consociatio:* 40 (25, 10). *contextio:* 85 (36, 20). *cunctatio:* 21 (16, 2)*. *decretio:* 32 (21, 15)*[369]. *deieratio:* 107 (44, 21)[370]. *deliberatio:* 6 (6, 19). *descriptio:* 89 (38, 2). *discretio:* 11 (11, 6). *distinctio:* 127 (57, 1). *distributio:* 107 (45, 11). *egestio:* 135 (59, 6). *elatio:* 94 (40, 22). *gesticulatio:* 132 (58, 9). *gratulatio:* 23 (17, 3). *habitatio:* 97 (41, 11). *haesitatio:* 130 (57, 12). *honoratio:* 7 (8, 11). *illigatio:* 200 (76, 13). *inspectio:* 16 (14, 3). *interiectio:* 197 (75, 14). *inumbratio:* 78 (35, 16)[371]. *inundatio:* 78 (35, 16). *investigatio:* 9 (9, 19). *iunctio:* 108 (46, 2). *litatio:* 142 (61, 22). *lucubratio:* 37 (23, 15). *moderatio:* 14 (12, 10). *modificatio:* 12 (11, 13). *modulatio:* 108 (46, 5). *nuncupatio:* 102 (43, 11). *obsecratio:* 37 (24, 5). *opinatio:* 100 (43, 4). *partitio:* 156 (66, 8). *peragratio:* 5 (6, 9). *perfectio:* 108 (45, 15). *perflatio:* 26 (19, 1)[372]. *permixtio:* 15 (13, 15). *perscrutatio:* 37 (23, 17). *petitio:* 218 (79, 14). *praeceptio:* 25 (18, 13). *procreatio:* 3 (5, 1). *remuneratio:* 23 (17, 7). *satio:* 71 (33, 16). *sociatio:* 109 (46, 8). *statio:* 25 (18, 18). *supplicatio:* 179 (72, 6). *temperatio:* 32 (21, 18)*. *trepidatio:* 111 (47, 6). *triplicatio:* 105 (44, 9). *unctio:* 100 (42, 18). *vacatio:* 35 (22, 20). *veneratio:* 184 (73, 7). *vomitio:* 136 (59, 9);

quae exeunt in *-tas:* *adversitas:* 84 (36, 15)[373]. *alacritas:* 23 (17, 3). *beatitas:* 151 (65, 1). *benignitas:* 7 (8, 4). *caritas:* 92 (39, 11)*. *comitas:* 132 (58, 6). *curiositas:* 102 (43, 12). *difficultas:* 143 (62, 8). *dignitas:* 6 (6, 18). *diversitas:* 14 (12, 8). *facultas:* 138 (60, 5). *gracilitas:* 109 (46, 14). *granditas:* 197 (75, 21). *gravitas:* 11 (11, 4). *humilitas:* 149 (64, 9). *impietas:* 166 (69, 4). *immortalitas:* 34 (22, 12). *inanitas:* 140 (61, 2). *iugitas:* 108 (46, 6). *levitas:* 88 (37, 9). *luculentas:* 6 (7, 5)[374]. *medietas:* 132 (58, 4). *mortalitas:* 102 (43, 17). *nobilitas:* 6 (7, 5). *novitas:* 151 (65, 7). *obscuritas:* 80 (35, 20). *paritas:* 8 (9, 5). *perennitas:* 7 (8, 5). *perspicuitas:* 67 (31, 17). *placiditas:* 34 (22, 8). *possibilitas:* 159 (67, 18). *probitas:* 92 (39, 24)*. *profunditas:* 92 (39, 18)*. *prolixitas:* 2 (4, 19)[375]. *propinquitas:* 91 (39, 5)*. *proprietas:* 30 (20, 14). *prosperitas:* 196 (75, 11). *rotunditas:* 140 (60, 22). *rapiditas:* 14 (12, 6). *societas:* 7 (8, 23). *soliditas:* 102 (43, 16). *summitas:* 201 (76, 15). *tranquillitas:* 196 (75, 11). *ubertas:* 71 (33, 16). *unitas:* 108

[368]) sero usurp., ut apud Apul. Apol. 32 (Thes. l. L. III, 1914 sq.).

[369]) vox rara (Thes. l. L. V1, 220).

[370]) rara vox (Thes. l. L. V1, 402).

[371]) rarum vocabulum.

[372]) hoc rarum substantivum Georges (Ausf. Handwörterb.) non attulit.

[373]) vox inde a fine saeculi quarti ecclesiasticis adamata (cf. Thes. l. L. I, 847 sq.).

[374]) rara vox.

[375]) Apul. et al.

(46, 4). *utilitas:* 62 (29, 12). *viriditas:* 66 (30, 23). *venustas:* 36 (23, 1). *virginitas:* 40 (25, 15).

Ut personam agentem ostendat, auctor saepius substantiva suffixi *-tor* sermoni imponit, quorum multa rara atque posteriorum usu adhibita apparent: *animator:* 36 (23, 5)[376]. *creator:* 197 (75, 15). *cultor:* 62 (29, 12). *cursor:* 25 (18, 16). *demorator:* 87 (37, 7)[377]. *fictor:* 68 (33, 1). *gubernator:* 152 (65, 13). *lector:* 219 (79, 20)*. *portitor:* 169 (69, 19). *remorator:* 70 (33, 6)[378]. *sator:* 70 (33, 6). *sititor:* 82 (36, 8)[379]. *scrutator:* 2 (4, 17). *tutelator:* 152 (65, 16). *vector:* 28 (20, 3).

Sed substantiva, quae ope suffixi *-trix* aut *-fex* terminantur, in Martiani Capellae libris I et II raro inveniuntur: ut *nutrix:* 72 (33, 18) et al. *genetrix:* 1 (3, 16)*. *signifex:* 36 (23, 5)[380].

Haec rara substantiva tertiae declinationis denique adnoto: *affixio, onis, f.:* 37 (24, 2). *implexio, onis, f.:* 176 (71, 21). *nexio, onis, f.:* 31 (21, 3)*. 92 (39, 21)*. 118 (50, 6)*.

Substantivorum quarti ordinis, quibus Martianus Capella, ut iam supra memoravi, mirum in modum favebat, in libris I et II 280 fere locos inveni, quorum usu iterum auctorem abstracta studuisse cognoscere possumus. Ex magno illorum nominum numero haec exempla rariora produco: *boatus:* 98 (42, 11)*[381]. *caelibatus:* 5 (6, 17)[382]. *fatus:* 23 (17, 14: *fatibus*). 24 (17, 22: *fatu*)*. 124 (53, 21: *fatibus*)*[383]. *fotus:* 35 (22, 18)[384]. *modulatus:* 14 (12, 14). 117 (49, 14). *netus:* 114 (48, 9). *participatus:* 20 (15, 16). *pruritus:* 7 (8, 14). *rabulatus:* 213 (78, 23). *revibratus:* 110 (47, 2). *succentus:* 11 (11, 5). 12 (11, 11). *vibratus:* 66 (30, 19)[385].

Mutatam significationem substantivorum aut rarius adhibitam apud auctorem haud saepe deprehendimus: ut

alipedes = ‚schnellfüßige Rosse'[386]: 29 (20, 10).

axis = ‚Wagen'[386]: 25 (18, 17).

---

[376] quae vox rarissima hic de artifice ponitur (Thes. l. L. II, 86).
[377] ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. V1, 509).
[378] rarum substantivum.
[379] cf. Apul. Met. I, 2.
[380] Apul. et al.
[381] cf. Apul. Met. III, 3.
[382] v. Thes. l. L. III, 73.
[383] cf. Thes. l. L. VI1, 370.
[384] v. Thes. l. L. VI1, 1215 sq.
[385] cf. Mart. Cap. 887 (468, 14).
[386] e sermone poetico (iam apud Verg. usit.).

humanitas = ,Menschengeschlecht': 3 (5, 6)[387]).
marmor = ,Meer'[386]): 92 (39, 19)*.
mortalitas = ,Mensch': 108 (45, 18).
pagina = ,Dichtung'[386]): 3 (5, 8).
palatium = ,Palast'[388]): 30 (20, 16). 97 (41, 11). 113 (47, 16). 134 (58, 23).
pignus = ,Kind', ,Sohn'[389]): 25 (18, 21). 31 (20, 23)*. 32 (21, 22)*. 180 (72, 8) al.
pruritus = ,Geilheit': 7 (8, 14).
salum = ,Meerfarbe': 16 (14, 7). 17 (14, 16).
vestigia = *pedes*[390]): 66 (30, 23). 76 (35, 10).

B. De adiectivis.

Singulariter propter metri necessitatem dicitur *vacum:* 21 (16, 2)* (sic cod. R; *vacuum* contra metr. cet.).

De formis rarioribus:

caligosus[391]): 67 (31, 15) = *caliginosus.*
carbasinus[392]): 136 (59, 13) = *carbaseus.*
multiangulus: 138 (60, 9) = *multangulus.*
augurialis[393]): 26 (19, 2) = *auguralis.*
zodiacteus[394]): 5 (6, 9) = *zodiacus.*
Eleusinus: 170 (70, 7): forma Latino more ficta = *Eleusinius.*

Adiectivi formam rariorem *decor* velut *decorus* positam, de qua Dick talia asserit[395]): „decorus; arch. Nbf. decor, wovon Dativ decori bei Mart. Cap. 2, 109. Genetiv decoris ebenda 2, 110. (Übereinstimmung mit Apuleius)", semel tantum (pro loco 110 [47, 1]) probo; sed formam *decori:* 109 (46, 11) singularis casum dativum substantivi *decor* aut *decus* praebere puto, qui commate inter *decori* et *formae* deleto cum genetivi formis sequentibus *(formae ac substantiae)* coniungitur.

De aliis formis adiectivorum rarioribus respice infra allata.

Adiectiva deminutiva in Martiani Capellae libris I et II rarius exstant: ut *paululus*[396]): 35 (22, 18). 36 (23, 8). 36 (23, 10). 73

---

387) cf. Apul. de dogm. Plat. 1, 16. Min. Fel. 8, 2.
388) e sermone poetico (iam apud Ovid. usurp.).
389) Ovid. et al.
390) usus poeticus.
391) Thes. 1. L. III, 161; cf. et 803 (422, 9).
392) v. Thes. 1. L. III, 428.
393) haec forma apud Capellam varie tradita *(-iales* β A γ, *-ales* rell. v) alias non nisi in Not. Tir. 55, 83 reperitur (v. Thes. 1. L. II, 1369).
394) rarum nomen hoc loco bene traditum.
395) A. Dick, Wortformen (1901), 11; cf. etiam Mart. Cap. ed. Dick, pag. XXXIV. Thes. 1. L. V_1, 210.
396) plerisque locis adverbium *(-um)* legitur.

(34, 2). 112 (47, 10). 184 (73, 8). 199 (76, 7). *gemellus:* 126 (56, 8)*. *glabellus:* 132 (58, 4)[397]). *ovillus:* 136 (59, 14).

Adiectivorum Graecorum ab auctore plerumque e poetarum scriptis aut sermonis pedestris libris doctis depromptorum haec rariora produco: *bibliothecalis:* 139 (60, 14)[398]). *angelicus:* 211 (78, 7)[399]). *hyalinus* = ‚glasgrün': 66 (30, 18). 67 (31, 14). *smaragdinus:* 66 (30, 22). *empyrius:* 202 (76, 21). *hymeneius:* 132 (58, 10)[400]). *dilophos* = *duplicem cristam habens:* 177 (72, 1)[401]). *enneapthongos* = *novem sonos (modos) habens:* 66 (30, 21)[402]). *orthographus:* 65 (30, 7).

Nomen *zodiacus,* quod in linguae Latinae scriptis plerumque more substantivorum ponitur, apud Martianum Capellam (lib. I et II) tantum adiectivi speciem praestat[403]): *zodiaca ... hospitia:* 8 (9, 9). *per zodiacum tractum:* 44 (27, 5 sq.).

Nonnulla porro **adiectiva** adnoto, quibus **pro usitatioribus** haud raro positis auctor maxime delectatur:

complacitus[404]) = *gratus:* 1 (3, 11)*. 18 (14, 20). 36 (23, 6). 119 (50, 15)*.

dissonus = *diversus* aut *varius:* 1 (3, 8)*. 92 (39, 21)*. 191 (74, 11)*. 203 (77, 1). 209 (78, 2).

parilis[405]) = *par:* 9 (9, 13). 12 (11, 11). 22 (16, 20)*. 132 (57, 22). 197 (75, 14).

praecluis = *notus* aut *excellens* aut *nobilis:* 3 (5, 2). 24 (18, 3)*.

ratus = *certus:* 11 (11, 5). 12 (11, 12). 20 (15, 15). 41 (26, 3). 75 (34, 19). 109 (46, 8). 117 (49, 12).

Eximie etiam Capella et **adiectivis compositis et per praefixa adornatis**[406]) laetatur, quorum haec exempla confero: *perdius:* 124 (53, 15)*: quod adiectivum posterius ortum ex adverbio derivatur[407]). *pernox:* 124 (53, 15)*. *praeambulus:* 215 (79, 2); cf. et 996 (533, 8). *praevius:* 125 (54, 5)*. *praescius:* 124 (53, 16)*. *sesquialter:* 11 (11, 5). *sesquitertius:* 11 (11, 6). *sesquioctavus:* 11

---

[397]) cf. Apul. Met. II, 17 (v. Thes. l. L. VI₂, 1998).

[398]) quae forma Latino more ficta non nisi Martiani loco allato et apud Sidon. epist. 8, 4, 1 apparet (v. Thes. l. L. II, 1958).

[399]) vox sera apud christianos saepius usitata (Thes. l. L. II, 44).

[400]) cf. et 725 (363, 17)*.

[401]) v. Thes. l. L. V₁, 1185.

[402]) v. Thes. l. L. V₂, 601.

[403]) cf. et adiectivum *zodiacteus* supra allatum.

[404]) cf. Apul. Met. IV, 32. Apol. 15.

[405]) imprimis apud poetas usitatum.

[406]) quorum, cum pleraque et in optimorum auctorum scriptis inveniantur, pauca tantum producam.

[407]) *perdius* etiam apud alios auctores plerumque cum *pernox* coniunctum adhibetur; cf. Gell. II, 1, 2. Apul. Met. V, 6.

(11,6). *sescuplus:* 182 (72,19). 198 (76,1). *septemplex:* 27 (19, 12). *bilanx:* 180 (72,9): nomen rarum (Thes. l. L. II, 1985). *triformis:* 170 (70,9). *concolorus:* 80 (35,19): quae rarior forma non nisi apud Mart. Cap. reperitur (Thes. l. L. IV, 81). *discolor:* 15 (13,1). 170 (70,9). *discolorus:* 67 (32,5). 71 (33,13)[408]. *diversicolor:* 14 (11, 23). 67 (32, 2): vox sero adhibita (v. Thes. l. L. V₁, 1571 sq.). *diversicolorus:* 74 (34,5): ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. V₁, 1572). *flucticolor:* 67 (31,8): ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. VI₁, 938). *multicolor:* 66 (31,2). *fluctigena:* 22 (16,12)*: nomen non nisi apud Mart. Cap. repertum[409] (Thes. l. L. VI₁, 938 sq.). *Maiugena:* 20 (15,15). 23 (17,15). 92 (39,9)* al. *Opigena:* 149 (64,2)[410]. *terrigena:* 134 (59,1). *omnigena:* 136 (59,9). *multigenus:* 138 (60,11). *caelicola:* 3 (5,3). 41 (26,4). 215 (79,5). *Domiduca:* 149 (63,17). *Iterduca:* 149 (63,16). *extramundanus:* 38 (24,8). 202 (76,20). *ultramundanus:* 185 (73,14)*[411]. *astrificus:* 98 (42,2)*: adiectivum non nisi apud Mart. Cap. repertum[412] (v. Thes. l. L. II, 959). *sensificus:* 185 (73,11)*. *somnificus:* 82 (36,10). *vernificus:* 1 (4,1)*: nomen rarum. *vulnificus:* 13 (11,18). *vivificus:* 196 (75,8). *aestifer:* 98 (42, 7)*. *signifer:* 208 (77,19). *coaevus:* 72 (33,17)[413]. *grandaevus:* 3 (5, 11). 40 (25,18). 71 (33,12). *longaevus:* 167 (69,7). *primaevus:* 36 (23,9). *astriger:* 91 (38,13)*. 193 (74,19)*[414]. *corniger:* 170 (70,10). *lauriger:* 19 (15,10). *semideus:* 156 (66,11)[415]. *seminudus*: 5 (6,13). *semivulsus:* 10 (9,22): rara vox. *docticanus:* 122 (52,14)*: ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. V₁, 1770). *solicanus:* 127 (56,23): rara vox. *suaviloquus:* 3 (5,8). *lauripotens:* 24 (17,16)*. *auricomus:* 12 (11,15). *multifidus:* 117 (49,6). *multividus:* 109 (46,10): rarum adiectivum. *multiangulus:* 138 (60,9)[416]. *flammivomus:* 70 (33,8). *lucifugus:* 78 (35,16). 130 (57,12). *solivagus:* 40 (25,15). *turicremus:* 124 (53,19)*.

Adiectivorum praedicta composita, quorum permulta aut rarissime inveniuntur aut ab ipso auctore finguntur, Martianus Capella, ut sermonem exornet dicendique luminibus variet, et prosae orationi et carminibus, quo usu illum sermonis genera miscuisse iterum cognoscimus, imposuit. —

Auctor noster, cum sermonis usui, qui dicitur litotes, studeat, saepius etiam **adiectiva praefixi *in-* privativi** usurpat, quorum haec

[408] cf. et Mart. Cap. 328 (152,5). Apul. apol. 30. mund. 16.

[409] cf. et 889 (471,6). 915 (486,16)*.

[410] ex coniectura Grotii, *soticenam* trad.

[411] cf. Apul. de Plat. 1,11.

[412] legitur porro in versu 584 (290,12)*; respice etiam verbi formam *astrificante:* 585 (291,2)*.

[413] hoc loco pro substantivo feminini generis adhibitum exstat (v. Thes. l. L. III, 1376).

[414] cf. et 808 (426,16)* (v. Thes. l. L. II, 959).

[415] cf. nomen Graecum *hemitheus:* 156 (66,10). 160 (67,20).

[416] cf. ea, quae de adiectivorum formis rarioribus attuli.

exempla produco[417]): *immodicus:* 22 (16, 14)*. *impatiens:* 28 (20, 4). *impertinens:* 43 (27, 2)[418]). *impiger:* 143 (62, 11). *impraemeditatus:* 99 (42, 15)[419]). *improvisus:* 15 (13, 4). *inauditus:* 37 (24, 5). *incultus:* 23 (17, 8). *indiscretus:* 6 (7, 1). *infractus:* 130 (57, 8). *innubus:* 6 (7, 2). *innumerus:* 113 (47, 19). *inopinatus:* 89 (38, 2). *inopinus:* 2 (4, 6). *intactus:* 2 (4, 6). *intemeratus:* 6 (6, 21). *intempestus:* 37 (24, 4). *intolerandus:* 197 (75, 22). *intrepidus:* 124 (53, 21)*. *invelatus:* 5 (6, 15).

Iuvat nos porro penitus perspexisse, quibus **adiectivorum suffixis** Martianus Capella in libris primo atque altero faverit:

Haud raro apud auctorem (lib. I et II) adiectiva non nisi in sermone pedestri reperta apparent, quae a verbis derivata in *-bundus* exeunt[420]): *errabundus:* 14 (12, 24). *flammabundus:* 90 (38, 8)[421]). *fluibundus:* 88 (37, 9)[422]). *laetabundus:* 23 (16, 21). 109 (46, 10). 171 (71, 2). 208 (77, 14). *speculabundus:* 112 (47, 8). *tremebundus:* 109 (46, 15).

Persaepe adiectiva in *-eus* cadentia inveniuntur, quae plerumque materiam aut colorem indicant; horum pauca tantum in seriorum sermone orta sunt, sed multa iam apud priscos scripta exstant: ut *aeneus:* 96 (41, 7). *argenteus:* 14 (12, 4). *aureus:* 9 (9, 15). *caeruleus:* 15 (13, 9). *coccineus:* 76 (35, 10)[423]). *collacteus:* 6 (7, 1)[424]). *consanguineus:* 1 (4, 2)*. *consentaneus:* 108 (46, 6). *corporeus:* 95 (41, 4). *ebeneus:* 80 (35, 20)[425]). *femineus:* 106 (44, 16). *flammeus:* 76 (35, 9). *lacteus:* 15 (13, 10). *laureus:* 7 (7, 20). *opertaneus:* 45 (27, 11)[426]). *piceus:* 15 (13, 14). *puniceus:* 73 (33, 22). *purpureus:* 113 (47, 18). *roseus:* 116 (48, 20)*. *sanguineus:* 15 (13, 9). *sidereus:* 90 (38, 9). *sulphureus:* 14 (12, 6). *tartareus:* 80 (35, 20). *terreus:* 93 (40, 9)*.

Adiectiva suffixi *-osus* (quibus vis inest ‚reich an', ‚versehen mit')[427]) a Martiano Capella saepius usurpata omnino optimis exemplis nituntur, at serae voces desunt: ut *curiosus:* 37 (23, 17). *flexuosus:* 14 (12, 24). *fragosus:* 14 (12, 6). *globosus:* 66 (30, 19). *gloriosus:* 131 (57, 17). *herbosus:* 66 (30, 23). *lacertosus:* 5 (6, 11). *morosus:*

---

[417]) respice etiam adiectiva in *-bilis* cadentia.

[418]) rara vox.

[419]) rara vox.

[420]) v. Stolz-Leumann, pag. 226 sq. Schmalz-Hofmann, pag. 378.

[421]) ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. VI1, 870).

[422]) ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. VI1, 952).

[423]) vox sera (Thes. l. L. III, 1392 sq.).

[424]) cf. et 111 (47, 6); Charis. 82, 12 formam *collacteus* inusitatam esse dicit; de vocis significatione satis memorat Caper gramm. VII, 97, 19.

[425]) ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. V2, 3).

[426]) cf. Plin. n. h. 10, 156.

[427]) cf. Stolz-Leumann, pag. 231.

219 (79, 21)*. *nebulosus:* 14 (12, 1). *numerosus:* 3 (5, 2). *pretiosus:* 67 (31, 7). *pruinosus:* 70 (33, 10). *speciosus:* 7 (7, 11). *undosus:* 17 (14, 14). *vultuosus:* 127 (56, 26).

Adiectivorum suffixo -*lentus* terminatorum[428]) haec exempla praebeo: *corpulentus:* 71 (33, 12). 154 (66, 2). *gracilentus:* 37 (24, 1). 140 (61, 9)*. *luculentus:* 132 (57, 22). *macilentus:* 109 (46, 14). *opulentus:* 80 (35, 22). 172 (71, 4). *rosulentus:* 73 (33, 22)[429]). *somnolentus:* 35 (22, 19)[430]).

Vocum in -*arius* cadentium, quas a Martiano Capella persaepe usurpari Böttger perhibet[431]), in libris I et II non multas repperi: ut *arbitrarius:* 68 (33, 1). *novenarius:* 103 (43, 20). *ostentarius:* 151 (65, 7). *quaternarius:* 107 (45, 9) al. *voluptarius:* 144 (62, 12).

In adiectivorum tertiae declinationis numero voces suffixis -*alis* et -*bilis* finitae praevalent, quarum nonnulla exempla confero:

suffixi -*alis*: *coniecturalis:* 7 (7, 20). *conubialis:* 3 (5, 5). *crinalis:* 29 (20, 7). *cunctalis:* 54 (28, 22)[432]). *curialis:* 95 (41, 5). *dotalis:* 146 (62, 20). *exitialis:* 197 (75, 20). *fatalis:* 108 (45, 16). *finalis:* 102 (43, 14). *generalis:* 152 (65, 9). *hiemalis:* 2 (4, 18). *iugalis:* 39 (24, 16). *iuvenalis:* 36 (23, 7). *intellectualis:* 202 (76, 21). *lustralis:* 2 (4, 7). *maritalis:* 121 (52, 3)*. *medialis:* 114 (48, 10)[433]). *natalis:* 7 (7, 12). *nivalis:* 197 (75, 16). *nuptialis:* 100 (42, 21). *regalis:* 66 (30, 14). *socialis:* 7 (7, 16). *specialis:* 152 (65, 10). *sponsalis:* 209 (78, 1). *virginalis:* 40 (25, 6). *vitalis:* 18 (14, 21). Confer et adiectiva rarissima *augurialis* et *bibliothecalis* iam supra allata. Hoc loco etiam proprium auctoris usum memoro, qui saepius adiectiva a nominibus propriis derivata, quorum nonnulla et substantive et adiective (v. inter alia *Delius, Cyllenius, Latoius)* adhibentur, sermoni imponit; nam cadunt in -*alis*: *Februalis:* 149 (63, 14)[434]). *Iovialis:* 28 (19, 19). 35 (22, 20). 39 (24, 15). 40 (25, 21) al. *Mercurialis:* 26 (19, 1). 125 (54, 29)*.

Persaepe suffixum -*bilis*, quod et apud alios posteriores increbruisse constat[435]), in Capellae libris apparet: ut *desiderabilis:* 6 (7, 4). *immutabilis:* 67 (31, 12). *implacabilis:* 3 (5, 14). *impossibilis:* 143 (62, 5). *incessabilis:* 39 (25, 2). *incredibilis:* 11 (10, 22). *infinibilis:* 204 (77, 5)[436]). *innominabilis:* 69 (33, 3)[436]). *inrevocabilis:* 64 (30, 4). *insopibilis:* 7 (8, 5)[437]). *laudabilis:* 127 (56, 25). *mirabilis:* 36 (23, 4).

---

[428]) v. Stolz-Leumann, pag. 228 sq.

[429]) = ‚rosenfarbig': rarum adiectivum.

[430]) ad analogiam vocabuli *vinolentus* fictum; cf. Apul. Met. I, 26 et X, 26.

[431]) C. Böttger, Neue Jahrb. für Phil. u. Päd. Suppl. XIII (1847), 621.

[432]) ἅπαξ εἰρημένον (Thes. l. L. IV, 1390).

[433]) rarum adiectivum.

[434]) velut substantivum usurpatum.

[435]) nam valet etiam in linguis Romanicis.

[436]) cf. Apul. de dogm. Plat. 1, 5.

[437]) rarum adiectivum; cf. et 910 (483, 11).

mutabilis: 14 (12, 21). *rationabilis:* 5 (6, 16)[438]). *sensibilis:* 203 (77, 4). *terribilis:* 170 (70, 9). *venerabilis:* 134 (58, 18). *vibrabilis:* 29 (20, 13)[439]). *volubilis:* 64 (30, 5).

Haud raro denique apud auctorem inveniuntur etiam nomina in *-ax* terminata: ut *fallax:* 102 (43, 12). *loquax:* 3 (5, 5). 11 (10, 15). *mordax:* 116 (49, 4)*. *olax:* 82 (36, 12). 215 (79, 4). *perspicax:* 6 (7, 7). *sagax:* 9 (9, 19). *vorax:* 82 (36, 8).

C. De particulis.

I. De adverbiis:

Praeter cetera auctor noster adverbia, quae in *-im* exeunt[440]), sermoni saepius imponit, quorum alia quidem et optimorum auctorum scripta signant, ut *confestim:* 62 (29, 14). *nominatim:* 63 (30, 1). *praesertim:* 3 (5, 4) al. *sensim:* 39 (24, 13). *singillatim:* 27 (19, 15). *tractim:* 207 (77, 13). *vicissim:* 16 (14, 2). 127 (56, 24), sed altera omnino non saepe apparent: *alternatim:* 18 (14, 19)[441]). *cessim:* 25 (18, 20)[442]). *decusatim:* 85 (36, 19). *rimatim:* 112 (47, 7). *triviatim:* 3 (5, 6).

Cum gradus comparativus, ut iam pag. 37 monui, in Martiani libris more posteriorum saepe cum positivo aut superlativo misceatur, etiam nonnulla adverbia comparativum pro positivo praebentia inveniuntur: ut *crebrius:* 67 (31, 14). *scrupulosius:* 213 (78, 17). Sed pleraeque adverbiorum formae comparativae apud auctorem enuntiati sensu probari possunt.

Ceterum Capella, si rariora iam in prioribus huiusce dissertationis partibus producta excipias, adverbia plerumque e classicorum sermone recepit; adnoto porro:
veluti[443]): 73 (34, 4); sed 7[es] *velut* exstat.
caelitus: 14 (11, 21): vox inferioris aetatis (Thes. l. L. III, 75).

II. De coniunctionibus:

Coniunctionum hae formae rariores ab auctore ponuntur:
ast[444]): 73 (33, 24); forma *at* 12[es] apparet.
ni[445]): 2 (4, 19). 31 (21, 1)*. 91 (38, 13)*. 135 (59, 5). 219 (79, 24)*;

---

438) cf. Apul. de dogm. Plat. 1, 9.
439) = ‚zitternd', ‚schimmernd': significatio rarissima.
440) v. A. Funck, ALL. VII (1892), 485 sq. et VIII (1893), 77 sq.; cf. et ea, quae auctor ipse de adverbiorum formis memorat in 325 (149, 6 sq.).
441) cf. Charis. p. 187, 16.
442) Varr. fr. Apul. Iustin.
443) priscorum more positum.
444) ad priscorum sermonem spectans (Thes. l. L. II, 942 sq.).
445) forma vetustioris usus velut *nisi* usurpata; sed pro *ne* haec forma nullo loco ponitur.

at in 4 tantum locis et non nisi in sermone pedestri posita usitatior forma *nisi* legitur.
uti[446]): 9 (9, 12). 26 (19, 3). 97 (41, 10). 217 (79, 1); sed forma *ut* 32es exstat.
atquin[447]): 37 (23, 11) = *atqui*.

III. De interiectionibus:

Has interiectiones in Martiani Capellae libris I et II scriptas inveni:
ecce: 117 (49, 6). 127 (56, 25). 133 (58, 11). 147 (63, 4).
De forma *eccam* vide ea, quae in pagina 19 attuli.
heus[448]): 134 (58, 21).
ne[449]): 2 (4, 13) = νή.
Confer et ea, quae de vocativo asserui.

D. De verbis.

De formis rarioribus:
attractare[450]): 134 (58, 23) = *attrectare*.
antevortis[451]): 124 (53, 21)* = *antevertis* (cf. Thes. l. L. II, 161 sq.).
gerundis[451]): 152 (65, 11) = *gerendis* (v. Thes. l. L. VI$_2$, 1929 et 1949).

Forma *cludat*: 118 (50, 6)* = *claudat* (Thes. l. L. III, 1300), quae a Dickio nescio utrum sola auctoritate codicis O^1 an aliis causis permoto probatur, iam apud classicos qui vocantur et in prosa oratione et in carminibus apparet, sed hoc loco usitatiorem formam *claud-* malo, quae a Capella etiam alibi adhibetur: ut 102 (43, 15). 156 (66, 10). 123 (53, 6)*.

Rara verba ab auctore permulta scribuntur, sed verba non nisi apud Martianum usurpata aut ἅπαξ εἰρημένα haud saepe leguntur; rarissimorum haec exempla praebeo:
adiaculatus: 169 (70, 6): ab *ad-* et *iaculare* (Thes. l. L. I, 665).
carians: 10 (10, 8)[452]): de re, quae iniquitate temporum corroditur (Thes. l. L. III, 455).
efflammans: 207 (77, 13): fere i. q. *emicans* (Thes. l. L. V$_2$, 188).
furvescens: 80 (35, 20); cf. et 870 (459, 2) (v. Thes. l. L. VI$_1$, 1650).

[446]) forma prior.
[447]) *atquin* novata fortasse forma (Thes. l. L. II, 1085 sq.); usitatior forma *atqui* nullo librorum I et II loco reperitur.
[448]) iam apud priscos saepius usitatum; cf. Wackernagel, IF. 45, 309.
[449]) iam apud priscos usurpatum; cf. et 806 (425, 20).
[450]) prisca forma hic non omnibus codicibus tradita (cf. Thes. l. L. II, 1161).
[451]) forma prisca.
[452]) cf. *caries*: 10 (10, 1).

indusiare: 65 (30, 10). 114 (48, 6)[453]).
revibrare: 169 (70, 7); cf. et 810 (428, 18).
subscalpens: 7 (8, 14): i. q. *subter scalpendo pruritum excitans.*

Verbum *perpenderat:* 135 (59, 8) a Dickio probatum, cum nullo codice tradatur, non agnosco, sed *persenserat* (β²lmOv) malo; nam *semper senserat* (A¹ΛL¹RB¹M¹D: ed. Kopp.) plane repudiemus.

Unum tantum **verbum e Graeca lingua receptum**[454]) in Martiani Capellae libris I et II deprehendi: *psallere:* 1 (3, 5)*[455]).

Verba deminutiva, quorum unum exemplum affero *sorbillare:* 139 (60, 18)[456]), apud auctorem paene desunt.

Etiam **frequentativa** et **inchoativa** haud crebro apparent.

Verba intensiva persaepe inveniuntur; sed cum pleraque iam in optimorum aut etiam priscorum auctorum sermone usurpentur, hoc tantum exemplum rarissimum praebeo: *recursitare:* 25 (18, 20).

Morem posteriorum, qui **compositum pro verbo simplici** ponere solebant, etiam Capella saepius sequebatur; caveamus autem, ne omnia verba composita pro simplicibus imposita esse putemus, nam multa opinor scribuntur, ut sermonem ornent et varient aut maiorem vim praebeant: ut *ediscere = discere:* 12 (11, 10). *aggarrire*[457]) *= garrire:* 2 (4, 8). *edocere = docere:* 2 (4, 12). 2 (4, 19). *comprobare = probare:* 19 (15, 5). *demonstrare = monstrare:* 14 (11, 20). *appetere = petere:* 14 (12, 13). *residere = sedere:* 28 (20, 6). *approperare = properare:* 44 (27, 4). Compositum *contremens:* 31 (20, 24)* versu postulatur; compositum *exorsus:* 39 (24, 18), ut puto, rhythmo cogente ab auctore imponitur. Sed multa alia composita non nisi seriorum usu probantur, quorum haec exempla produco: *deproperare = properare:* 2 (4, 10). *adoperire = operire:* 16 (14, 2). *enudare = nudare:* 16 (14, 3). *admonere = monere:* 19 (15, 3). *retinere = tenere:* 29 (20, 8). *diffugere = fugere:* 197 (75, 23). Quin etiam nonnullis locis compositum parum apte adhibetur: Nam verba *corrogare:* 47 (28, 2). 131 (57, 20) et *convocare:* 47 (28, 8). 143 (62, 7), ut exempla producam, locis allatis ad unam personam pertinent; sed, si compositi praepositionem respicias, tantum complures con-vocare potes, ut in 7 (7, 13) apparet. Etiam pro composito *disquirere* a Martiano Capella saepius (ut 9 [9, 20]. 10 [10, 4]. 149 [64, 11]) adhibito plerumque simplex intellegi vult.

---

[453]) cf. Apul. Met. II, 19.
[454]) Graeca vocabula litteris Graecorum tradita infra conferam.
[455]) iam apud Horat. et Sall. adhibitum.
[456]) deminutivum verbi *sorbere;* cf. Apul. Met. II, 16 et III, 14. v. A. Funck, ALL. IV (1887), 224 sq.
[457]) rarum verbum (Thes. 1. L. I, 1304).

At **simplicis pro composito** usum in auctoris libris raro tantum invenies, cuius haec exempla praebeo: *pellere caelibatum:* 5 (6, 17). *se renoscens:* 7 (8, 3): pro *recognoscens* positum. *somnum duceret:* 7 (8, 12). *consilium . . . ferre:* 21 (16, 6)*[458]).

Nonnulla verba denique confero, quae Martianus Capella, ut sermonem variet, **saepius imposuit:**

asserere = *dicere* aut *nominare:* ut 23 (17, 9). 37 (23, 14). 88 (37, 10). 102 (43, 17). 113 (47, 13). 159 (67, 14).

astruere = *dicere:* ut 113 (47, 20). 172 (71, 7).

cernere = *videre* aut *animadvertere:* ut 125 (54, 16)*. 125 (54, 24)*. 136 (59, 10). 141 (61, 11). 185 (73, 14)*. 200 (76, 10). 206 (77, 12).

compingere = *facere* aut *conficere:* ut 102 (43, 11). 117 (49, 12). 169 (70, 5).

dicere = *nominare* aut *vocare:* ut 64 (30, 3). 107 (45, 7). 152 (65, 14). 154 (65, 19). 156 (66, 10). 164 (68, 14). 167 (69, 10). 174 (71, 17).

memorare = *nominare* aut *dicere:* ut 17 (14, 18). 45 (27, 9). 141 (61, 18). 149 (64, 4). 156 (66, 11). 163 (68, 12). 173 (71, 12).

nuncupare[459]) = *nominare* aut *vocare:* ut 10 (10, 6). 149 (63, 14). 149 (64, 5). 153 (65, 18). 160 (67, 21).

perhibere = *dicere* aut *nominare:* ut 1 (3, 6)*. 11 (10, 14). 14 (11, 21). 107 (45, 5). 114 (48, 7). 150 (64, 19). 163 (68, 10). 181 (72, 15). 188 (74, 3)*.

praecipere = *iubere:* ut 41 (26, 3). 90 (38, 7). 134 (58, 22). 137 (59, 20).

praedicere = *supra dicere:* ut 2 (4, 12). 15 (13, 1). 17 (14, 10). 97 (41, 9). 109 (46, 7). 145 (62, 18).

---

[458]) priscorum more pro *auferre* positum (Thes. I. L. VI₁, 554).

[459]) cf. etiam substantivum *nuncupatio:* 102 (43, 11).

Appendix observationum.

A. De vocabulis Graecis, quae Graecorum litteris traduntur:

Haec vocabula in Martiani Capellae libris I et II Graecis litteris perscripta inveni:

υμνολογίζεις: 2 (4, 11)[460]).
ἐγέρσιμον: 2 (4, 14).
Ψυχῇ: 7 (7, 12).
Ψυχὴν: 7 (8, 19).
Φοῖβος ἀκερσεκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπερύκει: 19 (15, 7)[461]).
Ψυχὴν: 23 (17, 8).
μὰ τὴν τετράδα: 107 (44, 21).
ἑβδομάδων: 108 (45, 15).
διπλάσιον: 108 (46, 1).
ἐπογδόου: 108 (46, 2).
ἀείζωον: 141 (61, 14).
περὶ εὐδαιμονίας: 149 (64, 12).
ἀπαθεῖς*que*: 150 (64, 22).
ἀπὸ του δαιομένου: 154 (65, 19).
ἀγαθούς *et* κακοὺς δαίμονας: 163 (68, 11 sq.).
ἅπαξ καὶ δὶς ἐπένεικα: 205 (77, 8 sq.).

Quorum vocabulorum pleraque e poetarum sermone aut libris doctis recepta esse apparet; codicibus plerumque tam male traduntur, ut illas voces ab auctore Graecis litteris scriptas esse eluceat. Memorabili usu[462]) ter ponitur nomen proprium Ψυχή, quod Latinis litteris scriptum apud Capellam nusquam legitur.

Eyssenhardtii auctoritatem secutus Dick probavit Graecum vocabulum ὁ νοῦς: 92 (39, 15)*, quod asciscere non possum: Nam vox litteris Graecis tradita aliis librorum I et II carminum locis nusquam reperitur; substantivum *nus* semel quidem in versu 126 (56, 18)* exstat, sed sine articulo positum Latino more adhibetur. Quapropter

---

[460]) verbum rarissimum (cf. Thes. Graec. ling. VIII, 96).
[461]) versus a Martiano Capella tamquam Homericus impositus etiam apud Lucianum (Alex. 36) legitur ut oraculum Alexandri.
[462]) cf. Iuv. VI, 195.

loco allato lectionem *honos sacer* bene traditam (Aλlbmov) praefero, quo Iuppiter Mercurium non ipsum νοῦν possidere dicit, sed illum, qui industria sua et deorum patri et ceteris deis et sibi ipsi auctoritatem parit, interpretem Iovis mentis laudat. Lectio Eyssenhardtii (ὁ νοῦς *acer*) etiam probari non potest, quod adiectivum *acer* a versus metro abhorret.

B. De artibus rhetoricis:

At Martianus Capella vir perfecte planeque eruditus, ut iam supra dixi, non solum opera docta exhausit atque doctrinam suis libris inseruit, sed etiam sermonem variis artibus imprimis rhetoricis et poeticis exornare solebat, quarum praecipuas hoc capite adnoto:

De sermonis usu, quem grammatici **litoteta** dicebant, iam supra (in pag. 66) disserui.

Nonnullas **clausulas** in capite de formis (v. pag. 14) allato cognosces[463]).

Quaedam **homoeoteleuta** in carmine 124 (53, 12 sq.)* invenimus, ubi persaepe vocabula cadunt in syllabas *-is,* quae, licet aut metri vi aut significatione nonnumquam inter se differant, tamen, ut puto, certa ratione ab auctore ponuntur.

Sermonis usus, qui **chiasmus** vocatur, haec exempla praebeo:

ipso sacri pectoris ac prudentis amiculo: 7 (7, 18 sq.).

unus auro, electro alius: 66 (30, 20).

flammarum caelestium globos et ignes ardentium siderum: 109 (46, 13 sq.).

Saepissime autem et fortasse supra modum adhibentur artes **alliteratio** et **assonantia** dictae, e quarum exemplorum permagno numero haec tantum pauca produco:

c_oncitusque_ **C**_yllenius:_ 5 (6, 6).
p_aret_ **pl**_uribus:_ 5 (6, 7).
de_bere_ **de**_cernere:_ 8 (9, 8).
pr_aecursione_ **p**_ermitteret:_ 8 (9, 10).
v_olatilem_ **v**_irgam:_ 9 (9, 12).
car_iesque_ **car**_pebant:_ 10 (10, 1).
d_ictarum_ **d**_uceret_ **d**_ignitate:_ 23 (17, 1).
c_ommonente_ **C**_yllenio_ **c**_onvocantur:_ 61 (29, 11).

---

463) cf. A. Sundermeyer, De re metrica et rhythmica Mart. Cap. Diss. Marp. 1910.

diapente dicitur: 107 (45, 7).
pectus persenserat: 135 (59, 8).
dicuntur dii: 150 (64, 19).
non nescis: 159 (67, 15).
discrepantibus dissonabat: 213 (78, 21).
providum perspicacis prudentiae: 6 (7, 7).
quae mensura polis, quanta profunditas: 92 (39, 18)*.
ut suevit patria stringere pectora: 92 (39, 12)*.
ex nuptiali congruentia numero conquirit: 101 (43, 6 sq.).
tempus tribus vicibus variatur: 105 (44, 12).
trias triplicata novem numeros: 108 (45, 19).
praeterea palliatorum populus: 213 (78, 20 sq.).
demum dos . . . deesset: 217 (79, 12 sq.).
apposuit Aphrodite: 7 (8, 7 sq.).
accederent, admonebat: 19 (15, 9).
ingressurus immisit: 73 (34, 1).
aspexerat, astruebat: 113 (47, 20).
adumbrationis allusit: 166 (69, 2 sq.).
inde quoque ad Indici montis: 11 (10, 12).
lectitans intellexeram: 149 (64, 12).
Arabicis laetabatur halatibus: 215 (79, 6).

Conclusio.

Haec fere de sermone Martiani Capellae, qui, ut iam initio huiusce dissertationis monui, re vera duobus primis tantum libris ipsius proprium praestat, cum libris sequentibus doctrinam potissimum alienorum auctorum inserat, satis habeo contulisse, quo auctoris usum accuratius perspiciamus. Nam Capella, quod linguae Latinae leges attinet, magis quam multi alii posteriores in optimis exemplis nititur: Formae rariores apud auctorem haud saepe inveniuntur; atque etiam syntaxeos usus nullo paene loco a classicorum legibus recedit. Vocabula tantum a Martiano Capella ita adhibentur, ut inter alia et priscorum voces saepe usurpet et seriorum scribat et imprimis compositas ipse fingere soleat. Graeca vocabula persaepe in libris I et II reperiuntur, sed plerumque Latinam formam praebent.

Spectat Capella, ut praeclarorum auctorum atque doctissimorum morem conscribendi sequatur, inter scriptores prosae orationis maxime sese applicans ad Varronem et Apuleium, inter poetas ad Vergilium et Ovidium; sed sermonis genera ita promiscue habet, ut prosa saepius cum carminum usu conveniat. Etiam rhetorum artes, quarum nonnulla exempla contuli, auctor noster vehementer adamat. At cum Ciceronis more reiecto parataxin malit, sententias nimis compositas atque verbosas fingere non solet.

Vita.

Natus sum Fridericus May a. d. VI Id. Apr. a. 1910 Chassallae Chattorum patre Philippo matre Anna e gente Elsenheimer, quos parentes adhuc salvos esse valde gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Civis sum Germanus.

Litterarum elementis in schola publica vici Bieber in saltu Spessart siti imbutus vere anni 1921 gymnasium Budingense adii; inde a vere anni 1924 per quinque annos gymnasium Hersfeldense frequentavi. Maturitatis testimonio accepto vere anni 1929, ut studiis me dederem philologićis, almam matrem Philippinam petivi. Duobus annis exactis Monachium migravi, ubi per duo semestria in litteras incubui. Inde Marpurgum reverti, ut studia absolverem. Docuerunt me viri doctissimi Marpurgenses: Frank, Friedländer, Hölk, Jacobsohn †, Jacobsthal, Jaeck, Jaensch, Lommatzsch, Mager, Möbius, Mortensen, v. Premerstein †, Rohde, Schenk, Schultze Jena, Stephani, Wedekind; Monacenses: Distel, v. Drygalski, Fels, Hönigswald, W. Otto, Pfeiffer, Rehm, Stroux. Proseminario philologico Marpurgensi interfui per bis senos menses; ut seminarii philologici per bis senos menses sodalis essem ordinarius, concesserunt Friedländer, Lommatzsch, Rohde. Praeterea ad exercitationes philologicas, archaeologicas, geographicas, philosophicas me admiserunt Lommatzsch, Rehm, Rohde, Rubenbauer, Stroux, Jacobsthal, Möbius, Mortensen, Schultze Jena, Jaensch.

Quibus omnibus gratias ago quam maximas, imprimis Ernesto Lommatzsch, qui et suscipiendae huius dissertationis auctor fuit et in perficienda semper semperque consilio me adiuvit.

Examen rigorosum habitum est a.d. XIII Kal. Iun. a. 1936, ex quo die Marpurgi versatus sum.